F. 10. 68

Votum pro Pace CHRISTIANA

Quo exponuntur & amoventur præcipua obſtacula pacis per Romanæ Eccleſiæ miniſtros objecta; & oſtenditur quam immerito pacem reſpuant cum reliquis Chriſtianis Eccleſiis, præcipue vero cum Anglicana.

Authore ANDREA SALL, S.T.D. & olim Profeſſore, nunc Sereniſſ. M. Britanniæ Regi à Sacris Domeſticis.

Ad eumdem Magnæ Britanniæ Regem nuncupatum.

Rogate quæ ad pacem ſunt Hieruſalem ... Fiat pax in Virtute tua, & abundantia in turribus tuis. Pſal. 122. v. 6, 7.



BIBL. CANT. ACAD.

OXONII
E Theatro SHELDONIANO *Anno. Dom.* 1678.

Votum pro Pace CHRISTIANA

Imprimatur.

JO. NICHOLAS,

Vice-Cancel. *Oxon.*

April 4. *Anno Dom.* 1678.



AUGUSTISSIMO
ET POTENTISSIMO
SIMUL AC
CLEMENTISSIMO AC PACIFICO
PRINCIPI
CAROLO II.
Dei gratiâ Magnæ Britanniæ, Franciæ &
Hyberniæ Regi, Fidei defensori, &c.

QUOTUM bonorum omnium quotquot in orbe Christiano sunt hominum pro pace universali obtinenda, cui adferrem (nisi tibi, *Carole* Rex Augustis-

guſtiſſime, quem ſupremum pacis arbitrum adoptarunt ſummi Chriſtiani orbis Monarchæ in hoc luctuoſo rerum ſtatu, flagrante bellis univerſa propemodum Europa? Defenſionem fidei Catholicæ quæ eſt apud reformatas eccleſias, adverſus injurias & errores Miniſtrorum Eccleſiæ Romanæ, cui potius nuncuparem quam Angliæ Regi, quem ipſe Romanus Pontifex defenſorem fidei publico diplomate conſignavit; firmo autem ac non delendo charactere, ut tam fruſtra ſcriptum illud reſcindere ſategerint ſuccedanei, quam in caſſum curarunt Synagogæ Pontifices titulum illum expungere, quem prius ſuperimpoſuerant capiti Redemptoris. Equidem fidei defenſorem ſtrenuum egit, qui primitus eo nomine ornatus eſt, Henricus octavus Rex fortiſſimus, eccleſiam Anglicanam vindicando à tyrannide Pontificis Romani, eoque viam aperiendo qua fides catholica in illa ad primævam puritatem rediret. Defenſorem etiam fidei haud degenerem ſe exhibuit filius ipſius Edwardus ſextus, Princeps innocentiſſimus & ſanctiſſimus, ampliſſimam ſynodum nationalem

nalem cogendo, in qua zizaniæ quas inimicus homo in agro Dominico superseminaverat, manu sedula eradicatæ sunt, id est errores exterminati, qui temporum injuria in fidem & praxim Anglicanæ Ecclesiæ irrepserant. Nec eidem muneri defuit Edwardi soror & hæres Elizabetha Regina, vineam Dominicam ab hostili incursu strenue defensans. Porro fidei defensor eximius extitit Jacobus Rex sapientissimus, scriptis lucubrissimis asserens integritatem fidei catholicæ & Apostolicæ apud Anglicanam Ecclesiam, & adversos Romanensium errores confodiens. Sed proh! quam glorioso fidem catholicam asseruit Regii sanguinis irriguo Carolus primus, Rex & Martyr inclytus, adversus ferum hominum genus, quibus consilium erat fidem & ordinem omnem exterminare. Denique te fidei defensorem clarissimum læti conspicimus, *Carole secunde Rex serenissime*, quo feliciter redeunte ad avitas regias sedes, rediit simul sacrosanctæ fidei orthodoxæ per Anglicanam Ecclesiam, tanquam novo exorto sole, pristinus suus splendor. Sub tuis auspiciis Deus nobis hæc

otia

otia fecit; & facultatem contulit quæ velimus, quæque ſentimus, in fidei patrocinium libero ore proferendi. Ad tuum conſpectum, tanquam ad pacifici Salomonis ſolium, hodie confluunt Regum & populorum legati pacem quærentes. Gravamina aperiunt quæ immanibus bellis fomenta præbent. Sed fruſtra pacem populis optent, ni prius pax Eccleſiis redeat. Omnibus, quibus non ſunt occæcatæ mentes, nimis conſpicuum eſt Eccleſiarum diſſidia & infauſta ſchiſmata fomitem admovere populorum bellis & inſanis odiis. Patere igitur, Rex clementiſſime, ut ego ſubditorum tuorum minimus, & ſervorum infimus, ſed pacis Chriſtianæ ſitientiſſimus, votum meum ſimulque bonorum omnium pro pace eccleſiaſtica obtinenda coram Regia veſtra majeſtate exponam. Aperiam candide præcipua obſtacula pacis ab ipſius hoſtibus objecta. Oſtendam dilucide, quam illa inania ſunt & levia, ſi pacem quæ in Chriſto eſt vere velimus; ſi quæ ſurſum ſunt quærere ſtatuamus, non quæ ſuper terram. Scilicet, humanarum cupiditatum luem, non veritatis aut

cultus

cultus divini genuinum zelum somitem præstare hodiernis Christianorum hominum virtus invicem insanis odiis religionis obtentu. Sed vanus fuero, si putem me ulla argumentorum supellectili vim factum animis in lucrum & libidinem obstinatis, ni alia vis per vos, *Principes excelsi*, accedat. (Liceat mihi *o vere Rex serenissime*, alios quoque inclytos Principes per te, qua debeo summa reverentia compellare.) Agnoscite itaque *Principes sacratissimi*, dignitatem vestram. Agnoscite munus. Vos vere Dei Vicarii estis in terris, vos Christos Domini divina eloquia prædicant. Prospicite saluti, paci, & prosperitati populorum, quos Deus vobis regendos commisit. Fugate splendore Majestatis vestræ schismatum nebulas, quæ Ecclesiam pariter ac Rempublicam Christianam male denigrant. Resumite spiritus primi illius Imperatoris Christiani Constantini, vere & ter Magni pietate, fortitudine, prudentia. Is ubi primum orta est circa hæresim Arianam concertatio, utrosque Antagonistas gravitate Cæsare digna, castigavit. Tum Præsulis Alexandrini vanitatem in arcana cœ-

leſtia

lestia, quæ non licet homini loqui, curiosis quæstiunculis ambitiosus rimantis; tum Arii improbitatem impio dogmati pertinaciter hærentis pariter damnavit. Sed frustra Imperator maximus literis (si quæ usquam scriptæ sunt) sapientissimis & gravissimis cervicosos homines in concordiam revocare studuisset, frustra etiam concilium œcumenicum ex lectissimis totius orbis Christiani viris in id ipsum coegisset, omnia in verba & ventum abiissent; ni ipse Regia Majestate late fulgens Concilio præfuisset, æquis judicibus libere de rebus sacris dicendi ac decernendi copiam fecisset, & obstinatos in schismata silentio & exilio damnasset. Dum vixit Constantinus, & viguit hæc ejus æquabilis constantia, floruit & in summum splendorem adolevit ecclesia pariter & Resp. Christiana. Ubi celsit ille fatis, & succedentes alii degeneres Cæsares factiolorum hominum artibus in partes sunt distracti, Præsulum schismata alluerunt, & ipsos vicissim in mutuas rixas & fera bella concitarunt Præsules. Atque ita dum Præsul Præsulem, & Cæsar Cæsarem germanum insequitur, utrosque

utroſque debellant pagani & barbari, corruitque illa Chriſtianorum per orientem florentiſſima eccleſia, Imperiumque clariſſimum.

Expergiſcimini *Principes ſacri*, & jure pertimeſcite, ne ſimiles cauſæ ſimiles pariant effectus. Luget miſerabiliter Socrates hiſtoricus cæcitatem hominum in diebus Arii, meritoque aſſimilat nocturnæ pugnæ ipſorum jurgia; adeo neutri ſciebant cur ſe invicem calumniis oppetere inſtituerint. Alteri aliis hæreſes impingebant quas utrique deteſtabantur. En ipſiſſima temporum noſtrorum facies! Scinditur in partes inſanum vulgus: implacabiles iras aliæ in alias fovent. Andabatarum more tela circum cæco impetu rotant. Altera pars alteri monſtra errorum improperat: quæ tamen neutra agnoſcit, & ſane quæ apud neutram invenias, ſi ſingulas propius contrectes. Ita ut plurimum evenire cunctis non male oculatis nimis conſpicuum eſt; noſque aliquot indigitatis exemplis in decurſu iſtius tractatus oſtendemus. Sunt quidem ubique aliqua infauſta ingenia, quæ erroribus capiantur, illis tamen, & per

eos authores qui facile valeant exterminari, ſi parti ſinceræ (quæ Dei munere non exigua ubique eſt) copia loquendi fiat. Infidi paſtores lucro & luxui ſtudentes, miſellum gregem in has furias agunt. Compeſcite *Principes* iſtorum veſaniam, qua eſtis à Deo poteſtate inſtructi, ſi vobis imperium, ſi populis veſtræ curæ commiſſis, pacem & proſperitatem conſtare velitis.

Accipite votum omnium quotquot in orbe Chriſtiano ſunt bono & recto corde. Convocate Concilium vere œcumenicum & liberum ex totius orbis Chriſtiani lectiſſimis viris. In iis autem eligendis non tam nominum aut ſectarum, quam meritorum ratio habeatur, ſcilicet pietatis, integritatis & doctrinæ. Exulet è ſacro cœtu prophanus ſeculi typhus: nullus reliquis dominari ambiat: omnes ex æquo audiant Dei vocem per oracula divina, per traditiones Apoſtolicas, per illibatos primitivæ eccleſiæ canones prolatam. Abunde ſapuerint homines, ſi ex his tantum fontibus doctrinæ latices hauriant, & male ſanum ſtomachum prodiderit, qui haurire gravetur. Ad

hanc

hanc normam redigantur in breviorem ſummam ſalvificæ fidei capita ab omnibus Chriſtianis neceſſario credenda. Communi conſenſu ſtatuatur, ne adverſus hæc ullibi fas ſit alicui dicere aut diſputare. Quæſtiones obſcuræ & arduæ intra ſcholarum limina, aut pectorum ſcrinia omnino contineantur, & ſevere arceantur à publicis concionibus & colloquiis: nil apud populos efferatur niſi quod Dei & virtutum amorem, vitiorumque fugam ipſis commendet. Nuperiores canones, vel ſanctiones, ſive ad diſciplinam ſpectant, ſive ad ritus, prudenti eccleſiarum judicio permittuntur, ut pro temporum & locorum ratione per nationales aut provinciales ſynodos ſtabiliantur quæ magis idonea videbuntur.

Hæc ſi fiant (fient vero, ſi in eam curam principes ac magiſtratus ſerio incumbant) pax & proſperitas ſimul cum pietate orbi Chriſtiano reſtituetur. Clariſſimæ gentes ſeinvicem ſuapte indole amantes, & uno religionis præpoſtero obtentu diſſidentes, in mutuos & diu optatos pleniſſimæ charitatis amplexus redibunt.

Eja itaque *Carole Rex potentiſſime*, (ad te jam demum noſtra redit oratio) quando te pacis arbitrum conſtituerunt ſummi Principes & ſtatus, hanc ipſis pacis viam oſtende. Hoc bonorum omnium pro pace votum expone. Pacem ſuade, quæ plena ſit, conſtans, atque perfecta, forum utrumque complectens: ſic autem ſuade ut perſuadeas. Equidem antiquum illud eſt majoribus tuis inclytis: Angliæ regibus, ut inter diſcordes Principes, pacis authores fierent. Scilicet idonei viſi ſunt pacis arbitri, qui reluctantes juſto arbitrio poſſent vi compellere ad jus & æquum. Ita conſueverunt non caſſi eſſe ipſorum pro pace conatus. Inſiſte claris majorum tuorum veſtigiis. Utere qua polles potentia & gloria ad hoc ſummæ gloriæ opus perficiendum. Ut ex Anglia per Conſtantinum magnum prodiit, qui rem Chriſtianam ad ſummum decus primus eveheret; ſic nunc ex eadem Anglia per Carolum pacificum prodeat, qui priſtinum ſplendorem Chriſtianæ Reip. è poſtliminio reſtituat. Sic populos beatos efficies: ſic tibi beatitudo illa obveniet quam pacificis repromiſit

sit servator Christus. Utrumque ut assequaris, assiduis ad Deum precibus orat

Serenissimæ Majestatis tuæ

Subditorum humillimus

Et addictissimus Famulus

ANDREAS SALL.

Eja itaque *Carole Rex potentiſſime*, (ad te jam demum noſtra redit oratio) quando te pacis arbitrum conſtituerunt ſummi Principes & ſtatus, hanc ipſis pacis viam oſtende. Hoc bonorum omnium pro pace votum expone. Pacem ſuade, quæ plena ſit, conſtans, atque perfecta, forum utrumque complectens: ſic autem ſuade ut perſuadeas. Equidem antiquum illud eſt majoribus tuis inclytis Angliæ regibus, ut inter diſcordes Principes, pacis authores fierent. Scilicet idonei viſi ſunt pacis arbitri, qui reluctantes juſto arbitrio poſſent vi compellere ad jus & æquum. Ita conſueverunt non caſſi eſſe ipſorum pro pace conatus. Inſiſte claris majorum tuorum veſtigiis. Utere qua polles potentia & gloria ad hoc ſummæ gloriæ opus perficiendum. Ut ex Anglia per Conſtantinum magnum prodiit, qui rem Chriſtianam ad ſummum decus primus eveheret; ſic nunc ex eadem Anglia per Carolum pacificum prodeat, qui priſtinum ſplendorem Chriſtianæ Reip. è poſtliminio reſtituat. Sic populos beatos efficies: ſic tibi beatitudo illa obveniet quam pacificis repromiſit

sit servator Christus. Utrumque ut assequaris, assiduis ad Deum precibus orat

Serenissimæ Majestatis tuæ

Subditorum humillimus

Et addictissimus Famulus

ANDREAS SALL.

PRÆFATIO.

DUM hominum conditionem qui orbem terrarum hodie incolunt cogitatione perluſtro, atque tantam illorum multitudinem video ligna & lapides, quin & dæmones cæca religione colentes; ſpurcos homunciones, & ſpurciſſima dogmata ſerentes, in Prophetas & Magiſtros receptos; ſtupeo ac doleo, rationales animas in id fatuitatis incidiſſe. At dum ad eam illorum partem quæ Chriſtiano nomine gloriatur oculos converto, atque illam cerno in tot ulterius partes, ſectas, & factiones ſciſſam ac diſcerptam, & alteras alias tanto furore & tam implacabili odio impetentes; angor magis: nec mirari ſatis poſſum, quomodo doctrina per Dei filium cœlitus invecta, ſanctiſſima illa quidem, ſapientiſſima atque graviſſima, & quæ non aliud frequentius urget quam manſuetudinem & charitatem, has inſanias & pluſquam ferinas furias ferat; quomodo ex ſaluberrimo ac ſuaveolenti Evangelii agro tot ac tanta errorum monſtra fœda & lethifera eruerint infelicia ingenia; quomodo ſupra fundamentum firmiſſimum, quod eſt Chriſtus Jeſus, fœnum & ſtipulas, leges & cæremonias ineptas ac perniciosas ſuperædificaverint præpoſteri architecti. Humanæ quidem imbecillitatis eſt in tot errores labi, ſed pluſquam belluinæ feritatis, ſic errantes in ſe mutuo tam immaniter ſævire, lingua, calamo, flamma & ferro, privatim & publice. Urſi in urſos, lupi in lupos raro inſurgunt: at homines, ijque Chriſtiani, in alios Chriſtianos homines perenni furore involant. [a] *Præſuli Alexandrino,*

a Euſeb. de Vit. Conſtant. lib. 2. c. 71.

&

& ipſius Antagoniſtæ Ario ſcribens Imperator Conſtantinus magnus, graviter arguit utriuſque imprudentiam comparatione Philoſophorum, qui licet in aliqua aſſertionum parte diſcrepent, nihilominus ob ſectæ communionem in unum conſpirant: quanto magis deceat Chriſtianos & Dei altiſſimi miniſtros, inquit ille, pacem & unitatem colere, licet circa obſcuriores aliquot quæſtiunculas judicio diſcrepent.

Mihi ſane diu ac diligenter conquirenti cauſam & originem ſchiſmatum, quibus hodie Eccleſia Chriſtiana miſerime dilaceratur, non alia probabilior occurrit quam ſeveritas miniſtrorum Eccleſiæ Romanæ, per cenſuras & omne hoſtilitatis genus vexando reliquos Chriſtianos à ſua communione ſejunctos: præcipue vero, quod vulgo jactent & multis præconum millibus per orbem univerſum miſſis buccinent, neminem omnino poſſe obtinere vitam æternam ni Pontifici Romano obedientiam præſtet; & quotquot etiam Chriſtianis ſacris initiati ſunt, ni Pontifici illi ſubditi ſint, hæreticos aut ſchiſmaticos eſſe æternum damnandos: ut ſic Pontificem ſuum conſtituant univerſalem totius generis humani Monarcham, & mortales omnes in obſequium ipſius cogant terrore perennium gehennæ pœnarum. Hac ratione ſuos homines odio ac inimicitiis armant adverſus reliquos Chriſtianos à ſua ſocietate disjunctos, & alios viciſſim in mutuas inimicitias (quod nimis ab hominum natura eſt) adverſus Romicolas excitant. Et quamquam peritiores norint, excipiendos jure eſſe à ſeveritate iſtius ſententiæ, bonæ fidei profeſſores, Chriſtianiſmi & divinæ legis religioſos cultores per reformatas Eccleſias; id tamen inter arcana Imperii reticendum ducunt, & minime dicendum palam, ne anſa præbeatur aliquibus extra Pontificis Romani ditionem conſiſtendi.

Hanc ego politiam animitus ſum deteſtatus, & palam averſatus, etiam olim cum Romanæ Eccleſiæ partes acriter

(*&*

(& ſane ſincero animo) quoad cætera propugnabam. Etenim interrogatus num homines rite baptizati & inſuper credentes quæ in ſymbolo Apoſtolico continentur, & ſatagentes pro menſura acceptæ gratiæ placere Deo, ipſiuſque præcepta ſervare, poſſint ſalvari, etſi alios articulos minus obvios neſciant, aut negent per ignorantiam invincibilem ſive inculpabilem, & extra communionem Eccleſiæ Romanæ verſentur, quia id peccaminoſum eſſe nunquam ipſis eſt perſuaſum. Ad hanc inquam quæſtionem ſemper & ubique affirmative reſpondebam, ſcilicet homines ejuſmodi ſalvari poſſe, & Eccleſiæ catholicæ legitima membra eſſe, cum dignitas iſta per baptiſmum accepta non niſi per infidelitatem aut hæreſim amittatur, cum tamen neutrius eſſe reos homines illos, ſtatus quæſtionis ſupponeret.

Hæc tutius licuit efferre (quod forte non nemo miretur) dum in Academiis Hiſpaniæ conſiſterem. Nimirum inter viros doctos licuit Theologo liberius fari, modo intra notos fidei orthodoxæ cancellos ſe contineret, & juxta communis Theologiæ regulas quibus erat innutritus & perpetuo exercitatus loqueretur; ut ſane ego quoad hanc rem me continebam & locutus ſum, quod ex dicendis in decurſu iſtius operis manifeſte liquebit. At ubi in Hyberniam appuli, incidi in hominum genus quibus ſcandalum erat in Papali extollenda poteſtate ſobrie loqui. Ubi reſciverunt me, interrogatum à quibuſdam ex primoribus regni ſolicitis de ſalute ſuorum qui Anglicanæ Eccleſiæ adhærebant, num ſpes aliqua maneret ſalutis æternæ ipſorum, reſpondiſſe ut mox expoſui, nihil amarum & virulentum non in me vomuerunt. Hæreticorum fautor aut etiam hæreticus audiebam quod Proteſtantes, id eſt hæreticos (quod ipſis perinde eſt) ſalvari poſſe docerem.

Diu contempſi imperitorum capitum judicia veritatis conſcientia ſecurus, præſertim cum me præſente nullus mihi ad-

ſaretur At ubi accepi cenſuras in abſentem ferri ab aliquibus, qui doctores & paſtores dicebantur, apud attonitam plebeculam, quæ nominibus & numero magis quam argumentis & veritate capitur; ne iſta detrimentum ſuſtineret, & de ſana doctrina triumphum ageret veſania & error, pro concione publica in urbe Caſſelia habita, cui plurimi ex præcipuis & doctioribus loci hominibus aderant, dilucide oſtendi quam exacte cum orthodoxa doctrina & communi Theologia, etiam apud Romano-catholicas ſcholas recepta, cohærerent quæ ego circa rem hanc docueram; quam non deceret Theologum ubi quæſtio tanti ponderis ipſi proponeretur famæ & conſcientiæ deeſſe, ne juxta ſcientiæ & veritatis præſcripta reſponderet. Monui oculatiores eſſe noſtri ſeculi homines quam quibus craſſus & inſulſus error, qualis ille quem repudiaveram, obtrudatur; non alium ex tali molimine fructum expectandum, quam contemptum cauſæ ſimul ac patroni. Deſinerent mirari ſectam ſuam ejuſque myſtas ſeverius tractari à magiſtratibus alienæ religionis, quippe non alios dogmata ſerere ſic infenſa hominum ſocietati & publicæ paci; inter quæ locum inſignem obtinebat tetrum illud quod ego debellandum ſumpſi, quo nimirum prædicant omnes indiſcriminatim Chriſtianos, qui Pontifici Romano non obſequuntur, quantumvis moribus & fide quoad cætera præſtent, hæreticos aut ſchiſmaticos eſſe, Dei hoſtes, gehennæ titiones, æternis ignibus deſtinatos. Hoc judicio hominum cordibus inſidente, quis poteſt eſſe locus amori in vicinos, aut etiam in propinquos alienæ religionis? Et ſi eſt magnes amoris amor, ut eſſe dicitur, & uſu ſatis crebro eſſe comperitur; quî putabant à vicinis aut magiſtratibus amari, dum ipſi in illos ſic dira fovent odia? Hæc & his ſimilia ſinceriſſima charitate & veritate frequenter inculcabam tam publice quam privatim. Et quamvis æqui-

tatem

tatem dicti prudentiores ſatis perſpiciebant, tamen ne ſuſpicionem obirent minus propenſi animi erga Romanam Eccleſiam, ſeu verius aulam & Monarchiam, rarus aut nullus erat qui aſſenſiſſe fateretur; nemo omnino qui id palam profiteri auderet.

Tandem cum audirem obloquia & cenſuras in me paſſim jactari, amicorum monitu, & veritatis tam neceſſariæ confirmandæ ſtudio impulſus, tractatum conſcripſi, & in eorum manus perferendum curavi, quorum mihi major ratio habenda videbatur, in quo luculentis ſacræ Scripturæ teſtimoniis, ſanctorum patrum ſententiis, Conciliorum & Pontificum Romanorum decretis, & Theologorum conſenſu demonſtrabam, doctrinam quam circa rem hanc tradideram apprime ſanam & catholicam eſſe; eique adverſam, hæreticam & blaſphemam exiſtere, & quam nemo abſque maxima vel inſcitia vel nequitia defenſare valeat.

Ad hæc omnia duo tantum mihi ſerio ſunt objecta. Primum, quod acerbius excepiſſem adverſantes mihi hac in re, inſcitiæ, hæreſeos, & blaſphemiæ illos inſimulando; ſecundum, quod licet vera ſint, quæ docebam, tamen ſcandalum datura imbecilioribus. Ad primum horum reſpondi non convitiandi, ſed veritatis demonſtrandæ ſtudio; non temere, ſed firmo & conſpicuo argumentorum filo, hæc à me dicta eſſe; mitius eſſe inſcitiæ quam malitiæ & mendacij judicium, cujus tamen rei apparerent, niſi ipſos inſcitia protegeret, ne contra mentem ſuam, & notam ex oraculis fidei veritatem loqui viderentur. Ad ſecundum dixi, ob ſcandalum paſſivum, Phariſaicum, aut puſillorum (quale id quod mihi objiciebatur) veritatem non eſſe deſerendam, aut reticendam, dum juſta cauſa urget eam profiteri.

Denique inter alias plures, eaſque graviſſimas cauſas, quæ Romanæ Eccleſiæ praxim hodiernam mihi ſuſpectam

reddebant, hæc non poſtrema fuit, quod viderem fræna ſinceris animis injici, ne juxta manifeſtam & compertam veritatem loqui ipſis liceat. Inique ferebam, cum me (quod ſcirem) ab ambitu immunem eſſe ſentirem, vaſtæ aliorum ambitioni mancipium fieri, & pectoris ingenui libertatem inſatiabili ipſorum avaritiæ immolare. Nimirum clariſſime perſpexi uno Pontificiæ Monarchiæ dilatandæ ſtudio, dirum ac tetrum hoc dogma proſeminari, quod nemo Pontifici Romano non ſubditus vitam æternam obtinere valeat. Illius falſitate evidenter compertâ, cœpi in alios articulos quos fidelibus obtrudunt, & qui hodiernis diſſidiis ac inſanis odiis fomitem præſtant, diligentius inquirere. Æqua & ſeria judicii lance utriuſque partis argumenta libravi, conſultis peritiſſimis utriuſque patronis. Et evidenter comperi ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, quod eſt Chriſtus Jeſus, ſuperædificaſſe Pontifices & miniſtros Eccleſiæ Romanæ, lignum, fœnum, ſtipulas, *id eſt, ſupra fidem quam Chriſtus & Apoſtoli populis tradiderunt, ſuperimpoſuiſſe dogmata & ſuperſtitioſa & perniciosa hominum ſaluti æternæ.*

Neque vero temere, aut hominis alicujus ſuaſu, in hanc ſententiam veni; ſed longo & acri ſtudio, aſſiduis etiam ad Deum precibus fuſis, ut in re tanti ponderis lucem cœlitus mittat ad diſcernendum verum. Scripto etiam conſignavi præcipua argumenta quæ Romanæ Eccleſiæ praxim hodiernam male tutam mihi reddebant, & Anglicanam commendabant, ut iis ſæpe ac ſerio introſpectis & perpenſis de rei ſummæ prudentius ſtatuerem.

Hinc ingens animo orta procella eſt, vanitate cum veritate acriter pugnante. Obſtrepebat vanitas indecorum eſſe, poſt ritus patrios tot annis ſervatos & animoſe aſſertos, in alienos tandem ire, propinquos deſerere, claras familias domi

domi foriſque, quibus in paucis eram charus, contriſtare & infenſas reddere, eoque magna & certiſſima pericula mihi creare. Redarguebat veritas, provectioris ætatis, aſſidui ſtudii, & vitæ diſciplinis excultæ conſentaneum fructum eſſe, errores deprehendere: maſculæ virtutis & firmioris judicij opus, eoſdem deſerere. Parentes & propinquos omnes propter Chriſtum eſſe relinquendos. Auram popularem, auram denique eſſe; id eſt ventum & vanitatem. Hominum gratiam inanem & inſtabilem, Dei potius quærendam. Humanarum actionum primam ac perpetuo vigentem regulam eſſe dictamen conſcientiæ. Hanc mihi dictare, viam hactenus tritam, multis & magnis erroribus corruptam eſſe. Miſerandæ fragilitatis, vel infortunatæ educationis eſſe, quod erraverim; ſed damnandæ pravitatis, quod velim mentiri, id eſt contra mentem & lucem mihi affulgentem in erroribus perſtare.

Hæc cum anxius mente revolverem, incidit forte ſcriptum illud quo rationes exponebam quæ mihi Romanam Eccleſiam hodiernam ſuſpectam reddebant, in manus aliquorum ex Pontificiis, qui præpoſtero zelo acti, populi furorem in me concitarunt, ſpargentes in vulgus me Eccleſiam Romanam deſeruiſſe, & Anglicanæ adhæſiſſe; ſcriptum quoque edidiſſe exitioſum Romanæ cauſæ. Hinc orta civium Caſſeliæ & Clonmeliæ, cæteræque circum regionis, turbatio maxima. Plures miſſi per varia loca me quæſitum: alij ut perderent, alii ut ſervarent. Providit Deus ut poſteriores hi præcurrerent, ducerentque me in ædes R^mi. Archiepiſcopi Caſſelenſis, libertatis & vitæ tuendæ cauſa. Factabantur nempe minæ, non defuturos qui me vel interficerent, vel aliquo comportarent, ubi ipſorum partibus minus infenſus exiſterem. Simul ac in illum aſylum appuli, ſcripſi ad virum primarium ex nobilitate, quocum mihi ſtrictior

ctior amicitia interceſſerat, contribulium & propinquorum iras & minas me quidem in illum præſidii locum compuliſſe, fixum tamen animo habere Romanæ Eccleſiæ communionem non repudiare, dum ſpes aliqua maneret ſcrupulos ponendi qui eam mihi ſuſpectam reddebant. Id ipſum, nuncio idoneo miſſo, ſignificavi primario è clero Romano viro qui prope erat, rogans ut quandoquidem argumenta quæ me dubium reddiderunt penes ipſos tam diu conſtitiſſent, ut in plurium manus devenire, & eorum exemplaria diſtrahi poſſent; ſi quis putaret ſe iis ſolvendis parem eſſe, accederet, certus me inveniendi attentiſſimum auditorem & ſinceriſſimum veritatis cultorem. Nemo tamen ad id venit, aut innuit ſe aliquando venturum. Neque ſane erat cur ego ſperarem ex iis qui circa me aderant quempiam fore, qui ſcrupulos illos animo hærentes tolleret poſt diu & ſerio conſultos Suarium, Bellarminum, & alios validiſſimos Romanæ cauſæ patronos, quin eorum aliquis aut omnes ſimul iis tollendis ſufficerent; cum tamen tolli ardenter cuperem, ne diu charam mihi matrem ac fraternitatem, notos & amicos, tranquillitatem & copiam dimitterem, atque in plurima & certiſſima pericula me conjicerem.

Tandem concione publica primum Caſſeliæ, dein Dublinii habita, rationes aperi quæ me impulerant Romanæ Eccleſiæ communionem deſerere, & Anglicanæ adhærere. Eaſdem typis dedi, in limine rogans priſtinos fratres, ut ſiquis eos veritatis & ſalutis meæ zelus tangebat, uti tangere geſtiebant, ſecurim ad radicem admoverent, non folia aut ventum verberarent; id eſt, rationes à me propoſitas ſerio & ſobrie examinarent, & ſcripto publico oſtenderent, ſi quid infirmitatis in iis eſſet: producerent quoque quas ipſi firmiores habebant pro ſuis tuendis partibus, idque inconcuſſo & indubio Dei verbo, primitivæ Eccleſiæ uniformi conſenſu,

& ſolidis argumentis utrique illi fundamento innixis; non hyperbolicis locutionibus alicujus, aut plurium ex priſcis ſcriptoribus, phaleris oratoriis & tropicis interpretationibus ſcripturarum, eas diſtorquendo à genuino ſenſu ope alicujus tropi. Quo nimirum diſputandi genere, promptum erat Mahometi Alcoranum non minus plauſibili argumentorum apparatu, quam Concilium Tridentinum tueri. Idipſum verbo, literis ſcriptis, & nunciis miſſis, ſæpiſſime ac ſerio flagitavi. Mitterent, quoque minas, promiſſa, calumnias & dicteria ingeminare; decretum apud me eſſe hæc omnia penitus contemnere.

Integer fere annus evolutus eſt antequam reſponſio aliqua ad argumenta mea in publicum prodiret. Sed tandem fere ſimul emerſerunt quatuor libri. Quorum priorem ediderat è cuculatis unus ſub larva figurarum I. E. improbis maledictis, & calumniis in Anglicanam Eccleſiam congeſtis, quibus me ab ipſius amplexu retraheret, & Romanæ adjungeret. Sed mirum foret, ſi quem Suarez argumentorum robore, & Bellarminus authoritatum pondere flectere nequiverant, illoti oris & incompti ingenii homo, barbaris clamoribus, nulla ratione animatis, capere valuiſſet.

Subſequentes duos libros compoſuerat grandævus Præſul mihi quondam apud Hiſpanias notus & charus. Is miſeris querimoniis luget imprudentiam meam quod Eccleſiam deſeruerim ſanctimonia & miraculis illuſtrem, ut in aliam tranſirem (ſic fatur ille) hæreſibus pollutam, & pietatis exortem. Sanctorum patrum Ambroſii, Auguſtini, & aliorum virtutes & acta late commemorat. Hæreticorum ſtirpem à Lucifero inde (quem ipſorum eſſe ducem prædicat) ad noſtra uſque tempora prolixe explicat, atque mihi improperat quod illorum cætum reliquerim, & iſtorum gregi acceſſerim, Anglicanæ Eccleſiæ fidem amplectendo. Arden-

ter

ter hortatur ad fidem catholicam ocius remeare.

Ad quæ ſancte teſtatus ſum, mihi cordi fixum eſſe prius vitam amittere quam à catholicæ & Apoſtolicæ fidei ſinceritate recedere. Conſpicuis argumentis, ad Romano-catholicæ etiam Theologiæ regulas exactis, oſtendi, fidem quam profitetur Eccleſia Anglicana, vere catholicam & Apoſtolicam eſſe, nihil habere commune cum hæreticis, quorum conſortium nobis per errorem nimis craſſum improperat. Legitimum ſacerdotium, rectam ſacramentorum adminiſtrationem, ſinceram verbi divini prædicationem, ſanctorum patrum ſtudium ac reverentiam, pietatis Chriſtianæ eximiam praxim hic vigere; longe aliter quam apud Romicolas blaterant infidi nuncii.

Aciem clauſit quarto libro quidam neſcio quis glorioſus miles ſub characteribus I. S. immodicæ nimirum jactantiæ & malignioris ingenii homo. Is librum ſuum infeliciter auſpicatur è ſordido livore in craſſiſſima mendacia & improbas calumnias effuſo. Dein operoſa ſophiſmatum ſtrue aggreditur eludere vim argumentorum meorum, quibus oſtenderam infallibilitatem Pontificis Romani, ſupremam ipſius in Chriſtianorum omnium Eccleſias & animas poteſtatem, tranſubſtantiationem Euchariſticam, ſanctorum hominum qui in vivis non ſunt invocationem, doctrinam Purgatorij, & Papalium Indulgentiarum, res eſſe nulla divina authoritate, nulla etiam congrua ratione ſuffultas. Imaginum cultum à Pontificiis aſſertum Idololatriam vehementer redolere; certe divino præcepto manifeſtè opponi. Communionem Euchariſticam ſub utraque ſpecie, lectionem ſacræ ſcripturæ, liturgiam publicam lingua vulgo intelligibili, non niſi per ſummum nefas populis denegari.

Hominis iſtius calumnias quibus libri ſui frontem conſpurcaverat imprimis dilui, publicis inſtrumentis & teſti-

moniis

moniis omni exceptione majoribus evici, propudioſi mendacii illum extitiſſe reum, dum niſus eſt nominibus illis me ſpoliare, quibus publica munera quæ per plurimos annos obivi me honeſtaverant, negans ſacræ Theologiæ varii generis, id eſt dogmaticæ, ſcholaſticæ, & moralis, me profeſſorem egiſſe apud Salmanticenſes, Pampelonenſes, Palentinos, & Tudelanos. Quippe noverat vulgi ſui, cui ſcribebat, ingenium, qui cum argumentorum pondus ſuopte judicio æſtimare non valeat, non tam quid quiſque dixerit, quam quis dixerit attendit opinione magis quam ratione ductus. Proinde ipſius myſtæ adverſariorum famam omni arte labefactare ſatagunt, etiam per aperta mendacia, nulla pudoris ratione habita; fruſtra enim timoris divini monuerim homines, quibus perſuaſum eſt licitum eſſe famæ ſuæ conſulere per adverſariorum infamiam falſis teſtimoniis comparatam; quin & famæ ſuæ invaſorem occidere. Cujus præclare doctrinæ patronos magnis nominibus conſpicuos cernere eſt apud Joannem Caramuelem, denominatum Miſſiæ Epiſcopum in ſua Theologia fundamentali, fundamento 55. num. 2589. nuperioris editionis pagina mihi 448.

Fugatis calumniis cœpi in hominis ſyllogiſmos inquirere, quos ſcilicet inſolubiles eſſe jactat; jactabant & ipſius amici. Sed ſtricto examine exhibito palam evici paralogiſmos eſſe, tam dialecticæ formæ quam Theologicæ veritatis exortes. (Ni me fallunt viri doctiſſimi & graviſſimi, quos ſerio rogavi ut me monerent ſi quid erraneum aut minus ſanum in ſcriptis meis appareret: nec enim me aut alios per me falli vellem.) Ad calcem libri in faſciculum compegi aliquot ex inſignioribus viri ineptiis, quas in decurſu caſtigaveram, ut appareat quam merito ſtatuerim ejuſmodi ſcripta in poſterum nulla reſponſione dignari. Si quid ſcribendum foret, ſcholaſtico ſtylo & ſermoni id committere, qui minus

obnoxius ſim ſcriptorum vulgo, qui non tam ſtudent quid hominibus doctis & exacti ingenii placeat (quibus ſcilicet placituros ſe merito deſperant) quam quomodo inanem gloriolam apud inertem plebeculam captent cavillis, ſarcaſmis, & inſulſis dicteriis. Spes autem eſt neminem fore ſic effrontem, ut audeat hujus generis nanias doctorum hominum conſpectui obtrudere Latino ſermone.

Æqui, rogo, conſulat candidus lector quod in his enarrandis prolixior fuerim. Id feci ut viri præſtantiſſimi mihi quondam noti, ſocii & amici, & quos etiamnum in viſceribus charitatis arctiſſime complector (ſi forte ſcriptum hoc in manus ipſorum pervenerit) ex meipſo reſciant quam non cæco impetu aut ex aliqua animi ægritudine in reformatæ Eccleſiæ partes tranſierim, ne deludantur falſis rumoribus & malignis ac temerariis judiciis aliquorum, quibus mos eſt (iniquiſſimus ille quidem, & à chriſtiana charitate & ſanctitate longe alienus,) cunctos ſine diſcrimine è ſuo cœtu diſcedentes (quantumvis innocenti animo & pia intentione diſceſſerint) omni calumniarum & contumeliarum genere labefactare. Unum hujus rei inſtar multorum mihi exemplar fuerit Marcus Antonius de Dominis, Archiepiſcopus Spalatenſis, vir (quantum ex ſcriptis ipſius clariſſimis æſtimare fas eſt) conſummatiſſimæ literaturæ, & eximiæ integritatis ac charitatis tum erga Romanam Eccleſiam, tum erga chriſtianam univerſam, quam ut liberius & tutius exerceret, ad Anglicanæ Eccleſiæ aſylum confugit. Tamen quo ipſo tempore ad eundem aſylum ob aſſimilem cauſam ego accedere paraveram, incidi forte in libellum cujuſpiam blateronis, garruli puta grammaticuli, ſic petulanter inſultantis viro illi undique magno, ſic contumelioſe illum habentis ac ſi ex fæce plebis viliſſimum caput eſſet. Quis deinceps, inquam ego, curet iſtiuſmodi furiarum cen-

ſuras

ſuras? Aut quis putet lenem Dei ſpiritum commorari ubi illæ debacchantur?

Illis itaque ſpretis ad propoſitum mihi ſcopum pergo. Et quoniam is eſt chriſtianæ pacis impedimenta & hodiernorum ſchiſmatum cauſas aperire, atque in iis amovendis quas Deus dederit vires impendere, ordiar à præcipuo illo & maximo pacis obſtaculo, & odiorum ac diſcordiarum ſemine per Romanæ Eccleſiæ miniſtros ſparſo, quo nimirum prædicant extra Eccleſiæ ſuæ communionem per obedientiam Pontifici Romano præſtitam, nemini patere aditum ad vitam æternam. Atque ita fidem pridem datam nunc libero, qua ſcilicet promiſeram me juris publici aliquando facturum tractatum ſuperius commemoratum, quem intra Eccleſiæ Romanæ cancellos adhuc conſtitutus ſcripſi adverſus capitalem hunc errorem. Cujus appendices alios plures Eccleſiæ illius errores, & pacis Chriſtianæ obices, inter ſolvenda argumenta agitabimus & refellere ſatagemus.

Quoniam vero cum iis hominibus agendum eſt qui nihil niſi quod ſuum eſt demirantur, aut libenter audiunt, in hoc nocentiſſimo errore convellendo, non aliunde argumenta ſumam quam ex fontibus ſibi cobendis, ſcilicet ex ſcripturis ſacris apud ipſos receptis, ex conciliis & patribus, ex Pontificum Romanorum decretis, & communis Theologiæ documentis, ſcilicet illa ipſa argumenta, quibus eundem errorem exterminare conabar, cum adhuc Romanæ Eccleſiæ cauſam quoad cætera defenſabam. Ut appareat non tantum veritati ſed etiam conſcientiæ deeſſe, quotquot ex Romiſtis iniquiſſimum iſtum errorem proſeminant, ni illos forte craſſa & turpis ignorantia protegat.

Argumenta vero adverſus ſanam doctrinam ſolvenda ſumam, non illa quæ in me olim torquebant qui aderant Antagoniſtæ, levioris armaturæ homines (ex quibus ſcilicet

triumphatis nec gloriam nec fructum ſperaverim) *ſed quæ ipſe apud Suarium, Bellarminum, & alios fortiſſimos quoque Romanæ Eccleſiæ pugiles accurata indagine comperi, ex quorum examine uberior lux veritati orthodoxæ accedat, & adverſariorum fallaciæ clarius pateant.*

Porro nihil horum ex ira vel odio, aut ex alio quovis ſiniſtro affectu proferam, ſed ex ſincero ſtudio boni publici, & pacis Chriſtianæ. O utinam in bonam mentem tandem redeant pacis iſtius à ſervatore Chriſto commendatæ & bonis omnibus deſideratæ perturbatores. Utinam illuſtres gentes ſe invicem alioqui amantes, & cæco religionum Zelo tantum diſſidentes, in mutuos & multum optatos plenæ charitatis amplexus redire ſinant. Utinam depoſito illo ſupercilio quo dudum fatigavit populos Chriſtianos Romanus Pontifex, ad Monarchiam orbis terrarum totius tam fruſtra quam ambitioſe contendens, in complexum deſcendat confratrum Epiſcoporum. Ita amabilis redderetur cunctis. Splendorem illum priſtinum (*ſane ſatis illuſtrem*) *quem Romani Epiſcopi per priora & puriora Eccleſiæ ſecula obtinebant, ipſi non invidebunt. Conjunctis manibus & conſiliis, tam Principes quam Præſules & populi domeſticos errores facilius tollent, diſſidia component, male feriata ingenia compeſcent, & Chriſtiani nominis hoſtes validius compriment, pax & pietas in regnis noſtris florebit.*

Hæc mea ſunt vota, hic ſtudiorum ſcopus. Hæc etiam bonorum omnium & doctorum hominum per reformatas Eccleſias, quibus ſcilicet defæcatus eſt animus, vota ſunt. Deus bonus ac potens hæc vota ſecundet. Amen.

VOTUM PRO PACE CHRISTIANA.

CAPUT PRIMUM.

Exponitur primum & maximum pacis Chriſtianæ impedimentum per Romanæ Eccleſiæ miniſtros poſitum, quatenus docent neminem poſſe vitam æternam obtinere, niſi obedientiam Pontifici Romano præſtet.

I. ANGUSTAM quidem eſſe ad cœlum viam enunciavit ipſe de cœlo lapſus hominum Servator Chriſtus; at anguſtiorem fingit hominum in homines immite ingenium. Veteris Romæ faſtus erat totum terrarum orbem ſuo dominatui velle ſubjicere; at faſtuoſior recens cœlum quoque ſuæ ditionis eſſe contendit (contendit vero, ut ea via aditum ſibi ad terrarum imperium aperiat) claves regni cœlorum ſic poſſidere Pontificem ſuum prædicat, ut illuc nulli hominum pateat ingreſſus, niſi ad Pontificis illius nutum, & ſub ipſius ductu. Nimirum ſolam congregationem hominum ipſi obſequentem eſſe Eccleſiam veram & catholicam, in qua ſola Chriſtus paſſionis ſuæ & laborum merita depoſuit, quorum illi tantum participes efficerentur, qui ſe ad

Eccleſiæ illius conjunctionem reciperent: In illa tantum Eccleſia accipi peccatorum remiſſionem, gratiam Dei, juſtificationem, ſanctificationem: Solos Eccleſiæ illius alumnos mereri apud Deum vel augmentum juſtitiæ vel vitam æternam: Solos eſſe gratos ac acceptos Deo, & Dei filios ac amicos, ſolos eſſe ornatos veris ſeu chriſtianis virtutibus, ſolos illos habere promiſſionem certamque expectationem vitæ æternæ. Ita ex cæterorum mente Romanæ Eccleſiæ privilegia numerat Franciſcus Coſterus cap. 2. Enchiridii ſui num. 3. editionis Turnoni pag. 63. ubi eas eſſe veræ Eccleſiæ proprietates definit; & pag. 89. ubi concludit ſolam Eccleſiam Pontifici Romano ſubditam, eſſe veram & catholicam.

II. In eandem ſententiam ſcribit *Bellarminus* lib. 3. de Eccleſ. c. 2. Et c. 9. ejuſdem libri magno conatu Eccleſiæ ſuæ vindicat graviſſimos peccatores non tantum occultos ſed manifeſtos. Et c. 20. ſequenti tota ingenii & ſtudii contentione nititur ſuadere infideles occultos, id eſt qui nec fidem internam, nec ullam chriſtianam virtutem habent, ejuſdem Eccleſiæ vera membra eſſe, modo exterius fidem Romanæ Eccleſiæ profiteantur, & ſubjectionem Romano Pontifici, etſi ob temporale aliquod commodum id faciant, nulla in Deum fide ducti, nulla virtute ornati; adeo *Bellarmino* & ſociis perinde eſt, bonus ſit quis an malus, fidelis an infidelis, ut Eccleſiæ ipſis catholicæ membrum ſit, modo Pontifici ſuo vel ad ſpeciem pareat; reliquos mortalium è gremio Eccleſiæ exterminant, ſimul & à ſalutis æternæ ſpe omni, quantumvis fide & virtutibus præſtent, ni Romano Pontifici obedientiam exhibeant.

III. Proh Deum immortalem! quam ſæva hæc ſunt & fera? Quot hominum myriades hoc uno pronunciato, odio, infamiæ, contemtui, morti etiam æternæ devovent? Sane multo maximam generis humani, longe etiam

etiam nobiliſſimam gentis chriſtianæ partem per Angliam, Scotiam, Hiberniam, Galliam, Belgium, Germaniam, Sueviam, Daniam, Poloniam, Muſcoviam, Æthiopiam, Tranſilvaniam, ut interim omittam innumeras animas, eaſque Chriſtianas per Africam, Aſiam, & Americam Pontifici Romano non obſequentes. Quales putaverimus animos hæc doctrina genuerit in Romanæ ſcholæ credulis alumnis? qualia conſilia? Sane non alia quam convertendi aut certe evertendi gentes omnes ſuo Pontifici non obſequentes. Qualem è contra animi habitudinem procuraverit in aliis hominibus, quibus ſic infeſta eſt? Equidem timorem nimis juſtum, & quod ex timore naſcitur odium, ex odio contentiones & bella, deſiderium que frangendi poteſtatem ſic ipſis formidandam. Inter hæc quis locus paci aut charitati chriſtianæ manebit? Quis ſchiſmatum & bellorum finis? Ita ut hoc uno dogmate ſemen poſuerint Doctores iſti interminatis Chriſtianorum bellis ac diſſidiis.

CAP. II.

Explicatur quam veroſimillimum ſit præfatam Pontificiorum ſævam doctrinam, ad propagandam ſuam poteſtatem excogitatam, in ejuſdem demum everſionem ceſſuram.

I. NEminem non rerum nimis ignarum latet præfatam Pontificiorum feralem doctrinam uno politicæ artis conſilio invectam eſſe, ut terrore mortis æternæ credulas animas in ſuum obſequium cogant. Sed

vere omnino dixit Sapiens, [a] hominum providentias eſſe incertas, ita ut non raro ipſis contingat, qua via aſſenſum ambiunt, exitium ſibi comparare. Credo equidem non alio argumento me validius oppugnaturum præfatum Romanenſium dogma, quam ſi oſtendero ab ipſius proſeminatione exitium imminere Pontificio imperio. Ab hoc itaque topico ſeriem ordiar diſputationis meæ.

II. Imprimis autem moneo nimis à natura inditum eſſe hominibus, ut quem metuunt, oderint; & quem oderunt, perdere, certe vires ipſius frangere ſatagant: timent autem merito eos qui ipſorum libertati inſidiantur, & bonis ac poſſeſſionibus inhiant. Notum ſatis eſt cum avorum noſtrorum tempore rex quidam potentiſſimus ſuſpicionem obiiſſet (quo jure quave injuria neſcio, Deus ſcit) ambiendi monarchiam univerſalem vel orbis totius, vel iſtius noſtri Europei, quanto animorum ardore, & virium conjunctione ad ipſius frangendam potentiam principes circum & populi conſpiraverint, & quam eam demum ſic fregerint, ut miſerationis deinceps non invidiæ ſcopus ſit redditus. Et tamen tantum abfuit ne rex ille ſereniſſimus palam profiteretur ſe jus habere in ejuſmodi monarchiam, aut eam ambire, ut blateronem quendam monachum Italum qui libro edito aggreſſus eſt oſtendere qua via præfatus princeps ad eam valeret conſcendere, arctæ cuſtodiæ commiſerit, ac laqueo deſtinaverit; dediſſetque, ut fama eſt, ni vafer homo inſigni quodam aſtu regio carceri ſe eripuiſſet.

III. Quod ſi regum aliquis aperte & palam enunciaret ſe jus ad totius orbis monarchiam obtinere, atque collectis viribus ad eam conquirendam ſe accingeret, an putas forent principes ac populi ſic ſalutis & libertatis ſuæ immemores, & parum ſoliciti, ut non illico

[a] *Sap.* 9. 14.

ad

ad iſtiuſmodi tyrannum opprimendum conjunctis viribus advolarent? Quid ergo? Ecce vobis ex ſacerdotibus unus, Romanus Epiſcopus non obſcure innuit, ſed coram cœlo & ſole palam edicit, ac multis præconum millibus per mundum univerſum miſſis proclamat, ſe totius mundi dominum eſſe, Reges & Imperatores pariter ac populos univerſos ſuæ ditioni eſſe ſubjectos, idque jure divino per Chriſtum Dei filium ſtabilito. Sic [a] Nicolaus Papa definit *Chriſtum Petro ac ſucceſſoribus ejus ſimul terreni & cæleſtis imperii jura commiſiſſe.* Et Joh. 22. [b] omnes teneri Papæ obedire ſub pœna mortis æternæ. Et alius [c] graviſſimo argumento ex Geneſios c. 1. ducto, quod ſcilicet fecerit Deus duo luminaria magna in cœlo, ſolem & lunam; concludit Papam eſſe Imperatore præſtantiorem, quanto ſol præſtantior luna eſt. Unde ulterius infert priſcus gloſſæ conditor pro ſua in Aſtronomicis peritia, Papam eſſe quadrageſies ſepties celſiorem Imperatore. Et ne hic præcellentiæ gradus Pontificiæ dignitati non ſufficiat, alius argumentum inſtaurans ad emendatioris Aſtronomiæ regulas ſubinfert Papam eſſe ſepties millies ſeptingenteſies quadrageſies quater Imperatore & regibus ſublimiorem. Riſum an fidem voluerint hoc argumento excitare ipſi viderint. Certe ſerio decrevit Gregorius ſeptimus, in concilio quodam Romano, [d] penes Pontificem Romanum eſſe Imperatores & Reges ſuo imperio non obedientes, ſceptris ac regnis ſpoliare, eaque in alios transferre. Idem ſtatuit Innoc. 3. in concilio Lateranenſi c. 3. Et quod mirabilius eſt, idem uterque præſtitit; Gregorius in Imperatorem Henricum quartum, Innocentius in Johannem Angliæ regem. Ejuſdem potentiæ funeſta documenta dederunt plures alii Pontifices multorum Imperatorum, re-

[a] *Diſt. 22. c. omnes.* [b] *Extrav. com. de major. & obed. c. unam ſanctam.* [c] *Gregor. de major. & obed. c. ſolitæ.* [d] *Baron. an. 1076. §. 81. 32, 33.*

gum ac Principum miſerabili ſtrage apud hiſtoricos paſſim deſcripta, Cujus rei non pauca exempla gloriabundus producit Franciſcus Suarez, [a] ipſum factum ducens in argumentum juris Pontificii ad id faciendum. Scilicet infallibilem patrem cum ſuis conciliis non potuiſſe ſtatuere, niſi quod juri divino conſentaneum eſt.

IV. At inquiunt ipſorum aliqui non ſine cauſa Pontifices ſolent reges deponere. Et vero quis regum aut etiam tyrannorum ex vaſallis ſuis quempiam abſque alicujus cauſæ obtentu à ſuo ſtatu aut gradu deturbavit! Sed age, videamus quales demum cauſæ ſufficiant Romano Pontifici ad Imperatores & principes ſummos conculcandos, & à ſolio & ſedibus ſuis propulſandos. Quid impulit Gregorium ſeptimum ſuperius nominatum ad ſic ſæviendum in Imperatorem Henricum, ut quiſpiam non ferrei cordis vix temperet à lacrymis, principis miſerrimi ærumnas perlegendo. Qualiter per triduum excubias egerit ſub dio ad fores duriſſimi Pontificis, nudatis capite ac pedibus, gelu ac nive circundatus, & vix tandem ad pedum oſcula fuerit admiſſus. Quomodo imperii Principes, Præſules, & populi, & denique ipſiuſmet filii, Pontifice inſtigante, in ipſum conſpiraverint, ſubſidium & hoſpitium negaverint, imperialibus inſignibus eum pervim exuerint, & privatæ vitæ gaudia ſuperſtiti, ſed & ſepulturæ jus demortuo abſtulerint? Videat lector & ſtupeat videns miſerrimæ tragœdiæ ſeriem apud [b] Car. Sigonium, & alios ævi illius hiſtoricos. Sed inquam quænam fuerit tantæ ſævitiæ cauſa? uno verbo. Quod noluerit Imperator jus eligendi regni ſui Epiſcopos & Abbates transferre à ſeipſo in Pontificem. Ideo, ut

[a] *Defenſ. fidei lib. 3. c. 23.* [b] *Sigon. de regno Italiæ an. 1106. Helmoltus hiſt. Sclavonum c. 32. Albert. Kranzius hiſtor. Saxonum lib. 5. 25. &c.*

Simo-

Simoniacus & hæreticus, fuit ſolio & ſceptro ſpoliandus, atque in eam conditionem conjiciendus, ut humiliter petenti ſedem inter miniſtros Eccleſiæ Spirenſis, ab ipſo erectæ & reditibus dotatæ, eam ipſi perfracte negaverit ingratus & inhumanus Epiſcopus Gebardus, ab eodem Henrico ad infulas illas evectus.

V. Ex multis quæ de flagitiis illius Hildebrandi Gregorii memorant antiquiores Hiſtorici, plura tacet, alia negat [a] Baronius. Cæterum quod ipſe in illius commendationem refert [a] mihi præ reliquis omnibus bilem movet. Scilicet cum Gregorius Miſſam celebraſſet, viſam eſſe cuidam viro in extaſim rapto, nivei coloris columbam Pontificis humeros protegere, & poſtquam ad altare deſcendens caput blande ſuper conſecratam hoſtiam flexiſſet, volatu prepeti remeare ad cœlum. Nocte vero ſequenti virum illum divinitus eſſe juſſum viſionem renunciare Gregorio cum adhortatione ut vigore ſancti ſpiritus conſtanter exequeretur quæ adverſus Imperatorem cœperat. Itane ſpiritum Dei ſanctiſſimum, cui natura amor eſt, tantæ immanitatis authorem finxerit? O miſeram credulitatem illorum qui inſulſis juxta ac impiis hiſce fabellis fidem præſtant!

VI. Pudet Anglos annalium ſuorum referentium ignominias & ærumnas per Romanos Pontifices inflictas regibus ſuis ob id ſolum, quod ſubditos ſuos vellent continere in officio juxta regni ſui leges, nec permitterent iis colla ſubtrahere judiciis ſuis, & cauſas diſtrahere ad exterorum tribunalia. Sed quid cauſas inquiramus actorum Papæ? Quamvis aliqui dicant Pontificem non ſine cauſa deponere reges conſueviſſe, & illorum regna in alios tranferre; alii putant infra ipſius dignitatem eſſe ejus rei aliam expectare aut exhibere

[a] *Ad an.* 1084.

cauſam

cauſam, quam placitum ſuum. Accipe Decretorum ipſius commentatores ſic poteſtatem ejus exponentes. [a] *In his quæ vult, ei eſt pro ratione voluntas. Nec eſt qui ei dicat, cur ita facis? Ipſe enim poteſt ſupra jus diſpenſare...de injuſtitia poteſt facere juſtitiam corrigendo jura & mutando.*

VII. Sed quid demum non audebunt, cum non dubitent Papam diſertis verbis Deum compellare. *Credere* (inquiunt) *Dominum Deum noſtrum Papam conditorem* &c. Extrav. Joh. 22. Tit. 14. de verborum ſignificatione c. 4. *cum inter nonnullos.* Gloſſa. Sect. *declaramus* prope finem. O ſacri inquiſitorum tribunalis fidem! Si quid excidit ſcriptori cuipiam quod vel tantillum derogare videatur Papæ privilegiis, accurate expungitur, & tantæ molis in Deum blaſphemia, qua ſcilicet homuncio peccator Deus ſalutatur, inoffenſo pede per omnium manus excurrit. Nihil contra ſtatuunt indices expurgatorii, nihil Gregorius 13. legem canonicam reformans. Poſt illam reformationem etiamnum proſtant verba illa in variis Decretorum editionibus. Videat Lector Lugdnenſem anni 1584. & Pariſienſes annorum 1585. 1601, 1612. quæ tamen caſtigatæ dicuntur ad normam Romani exemplaris per præfatum Gregorium 13. approbati. Quod barbaria Europam inundante, quo tempore Papalis poteſtas in eam altitudinem exorbitavit, hæc portenta in canones & legum codices irrepſerint, dolendum eſt: quod autem in conſpectum ſeculi ſic emunctæ naris & diſciplinis exculti proferantur, prorſus intolerandum.

VIII. At inquies tanta Pontificis poteſtas hæreticis tantum & ſchismaticis, non catholicis Regibus & Papæ obedientibus timenda eſt. Imo ſane his tantum timenda eſt. Dum Anglia Papæ erat ſubdita ignominias

[a] *Decret. Greg. lib. 1. Tit. 7.* quanto perſonam. *Gloſſ. Sect. veri Dei*

illas

illas tulerunt ipſius Reges, quas meminiſſe horret, poſtquam jugum illud excuſſit, ridet ſecura minas & tonitrua Romani Jovis. An vero illa poteſtas timenda ſit aliis catholicis & etiam probis Regibus, diſce ex iis quæ docet Thomas Bozius: [a] *ſitque*, inquit, *aliquis Rex jure ſolers, induſtrius, potens, catholicus, pius; tamen Pontifex Epiſcopique, Pontifice approbante, jure naturali divino, in divinis ſcriptis expreſſo ac tradito per Chriſtum & Apoſtolos, valent huic auferre Imperia, Regna, alterique nullum jus alioqui habenti adjudicare, ubi judicaverint id eſſe non modo neceſſarium, ſed expediens.*

IX. In ejuſdem ſententiæ confirmationem adducit idem *Bozius* [b] *Rodericum Sancium*, Epiſcopum *Zamorenſem*, Pontificiam poteſtatem extollentem in hæc verba: *Eſt vero naturaliter, moraliter, & Divino jure cum recta fide tenendum, Principatum Romani Pontificis eſſe verum, unicum, immediatum Principatum totius Orbis, nedum quoad ſpiritualia, ſed quoad temporalia; & Principatum imperialem eſſe ab ipſo dependentem & mediatum, miniſterialem & inſtrumentalem, eidem ſubminiſtrantem & deſervientem, foreque ab eo ordinatum, & inſtitutum, & ad juſſum Principatus Papalis mobilem, revocabilem, corrigibilem, & punibilem.*

X. Ne vero putes hæc per æſtum, aut præcipitantiam dicta eſſe à Sancio, ſcias ſeriam & conſtantem inter juris Pontificii interpretes [c] ſententiam extitiſſe, omnia jura regnorum, & dominia Petro eſſe collata tanquam Chriſti vicario; Romanum autem Pontificem in illo jure Petro ſuccedere, ideoque ſupremam

[a] *De jure ſtatus, lib. 3. c. 4.* [b] *Rodericus Sanchez Epiſcopus Zamorenſis, apud Alexandrum Carerium de poteſtate Papæ, lib. 2. pag. 131.* [c] *Ita Gloſſa. Innocentius Hoſtienſis. Joannes Andreas. Panormitanus. Pelinus & Decius in c.* novit. *de judiciis, & in c.* ſolita. *de majorit. & obed. & in c.* venerabilem. *Qui filii ſint legitimi. Et etiam ex juris Cæſarei interpretibus. Barthol. Oldrad. Paulus de caſtro, & plures alii apud Navar. commemorati in c.* novit. *notabili* 3.

poteſtatem civilem in habitu (ut ipſi loquuntur) ſolum eſſe in Pontifice, licet per alios reges, ex tacita vel expreſſa conceſſione, eam adminiſtret.

XI. Et quanquam recentiores conentur præfatæ doctrinæ arrogantiam temperare, poteſtatem Pontificis diſtinguendo in directam, atque indirectam; & priorem ipſi tribuendo quoad ſpiritualia, poſteriorem quoad temporalia, ita ut poteſtas coerciva adeoque everſiva Principum ſuffragari debeat poteſtati eorumdem directivæ, ne iſta elumbis ſit & fruſtranea: hoc ſane luſus eſt. Quantum enim demum ſolamen eſt Principi à dominiis ſuis expulſo, directe an indirecte, per compendium an per ambages illum expulerint?

XII. Porro hujus tantæ poteſtatis tot habet præcones Pontifex Romanus, quot ſub ipſo ſunt Theologi, Juriſperiti, Hiſtorici, Rhetores, & alii pœne innumeri ſcriptores & concionatores. Ex quibus omnibus conſtat quam formidanda ſit Principibus & populis hæc poteſtas. Quam etiam Pontifici timendum (qui fuit mihi in hoc capite præfixus ſcopus) ne tantus & tam juſtus timor Principibus & populis incuſſus, in perniciem ipſius tandem vergat, ob rationes ſuperius explicatas. Diſcat proinde à Rege prudentiſſimo ſupra indigitato, ſordidos ſycophantas poteſtatem ipſius ſic extra modum & menſuram extollentes, laqueis non mitris excipere. Mittat totius orbis dominium ſibi vendicare, ne quod habet amittat. Mittant ipſius miniſtri gehennæ addictos enunciare omnes, qui ſuo Pontifici non parent. Et ſi hoc amicis monitis non dederint, oſtendam deinceps ſtrictis argumentis, non tantum veritati, ſed etiam conſcientiæ deeſſe (modo ſcientiæ in ſcholis ſuis traditæ non ſint ignari) quoties aſſerunt, extra communionem Eccleſiæ Romanæ nemini patere aditum ad vitam æternam.

CAP.

CAP. III.

Primum argumentum pro vera doctrina adverſus præfatum Romanenſium dogma, ex verbis Chriſti Domini Marci 16. & ex communi Theologorum conſenſu deſumtum.

I. ADverſari Pontificios tum veritati, tum ſuis ipſorum principiis, afferendo extra congregationem Pontifici Romano ſubditam nulli patere aditum ad vitam æternam, probatur. 1°. Authoritate Chriſti Domini, qui nobis veritas & vita eſt, quique aſcenſurus in cœlum (ut teſtatur Marcus. c. 16. v. 16.) hanc ſupremam lectionem diſcipulis tradidit: *qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit.* Atque hanc doctrinam ipſis commendavit per univerſum mundum omni creaturæ prædicandam. Habes hic requiſita ad ſalutem æternam ore Salvatoris concludi in Fide & Baptiſmo: At extra Eccleſiam Romanam invenitur vera fides ad ſalutem neceſſaria, veruſque baptiſmus; ergo adverſantur veritati & Chriſto Pontificii aſſerentes extra Eccleſiam ſuam nulli patere aditum ad vitam æternam.

II. Minor (in qua eſt tota difficultas) ita oſtenditur quoad Eccleſiam per Angliæ imperium reformatam (cujus, utpote mihi notioris, defenſionem præcipue nunc ſuſcipio; complexuram tamen, ut ſpero, alias quoque reformatas Eccleſias, quas ſcilicet cum Anglicana, quoad ſubſtantialia Chriſtianæ diſciplinæ, conformes eſſe mihi credibiliter eſt perſuaſum.) Minor, inquam,

præfata ſic oſtenditur. Imprimis circa Baptiſmum nulla nobiſcum controverſia eſt. Fatentur ultrò verum & validum apud nos eſſe. Porro fidem quoque veram & catholicam, quæ ad ſalutem neceſſaria eſt, apud nos extare ſuadetur imprimis authoritate magni Athanaſii, qui fidei catholicæ ad ſalutem neceſſariæ ſummam exhibuit in illo ſuo decantatiſſimo ſymbolo, quod etiam Romæ fuiſſe ab eo compoſitum tradidit Baronius. [a] At integrum illud ſymbolum (uti etiam & Apoſtolicum ac Nicenum) amplectitur Anglicana Eccleſia, eáque omnia tria tam publice quam privatim legenda, & ſolenni ritu decantanda populo proponit; ergo vel fefellit nos Romanoſq; pariter Athanaſius, fidem catholicam ad ſalutem requiſitam ſic deſcribens, vel fides ſic requiſita apud nos extat.

III. Quod ſi Athanaſii non ſufficiat authoritas, ſuadetur ulterius eadem minor communi calculo Theologorum ipſius Romanæ Eccleſiæ. Quos nimirum ſi interroges quænam ſint neceſſario credenda? reſpondebunt *duplicem* eſſe hac in re *neceſſitatem*, aliam *medii*, aliam *præcepti*; illa autem eſſe neceſſario credenda neceſſitate *medii*, quorum fides prorſus neceſſaria ſit ad ſalutem tanquam medium ad finem, ita ut nec ignorantia, nec alia cauſa, neſcientes excuſet; illa vero neceſſitate *præcepti* eſſe credenda, quæ addiſcere præcipimur lege, vel divina vel eccleſiaſtica, ſub onere gravis peccati, ſi facultas addiſcendi ſuppetat. Quod ſi illa deſit, & ignorantia ſit invincibilis (quam ſcilicet pro conceſſa nobis poteſtate vincere nequeamus) ea nos excuſat. Priori modo pauca omnino neceſſaria eſſe docent præfati Theologi. Qui plurimum requirunt, tantum dicunt ante promulgationem Evangelii neceſſariam fuiſſe fidem explicitam de Deo authore ſupernaturali, implicitam vero de Chriſto mediatore; poſt promulgationem autem Evangelii

[a] *Ad an. Chriſt.* 340.

neceſ-

neceſſaria m eſſe explicitam de Chriſto ac Trinitate notitiam, juxta illud Johannis ſeptimo: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te Deum verum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum.* Poſteriori modo tantum ea, quæ continentur in ſymbolo Apoſtolico, eſſe neceſſario credenda explicite, probabilior ſententia docet. Ita *Suar.* de Fide Diſp. 13. Sect. 1. *Vaſquez.* 1. 2. Diſp. 121. *Valentia.* t. 2. Diſp. 1. quæſ. 2. pun. 3. & *alii* plurimi. At hæc omnia, quæ utrovis modo neceſſaria eſſe ad ſalutem Theologi illi docent, univerſim creduntur & credenda traduntur in Eccleſia Anglicana; nempe fides in Deum trinum & unum, in Servatorem Chriſtum, & in ea omnia quæ in Symbolo Apoſtolico continentur: ergo fides ad ſalutem æternam neceſſaria, etiam juxta Romanenſium Theologorum declarationes, reperitur in Eccleſia Anglicana.

IV. Et ſane quoad illa neceſſario credenda neceſſitate *medii*, nemo quod ſciverim huc uſque dubitavit eorum fidem integram extare in Anglicana Eccleſia; ut vel hinc ſatis liqueat, quam temere & falſo dicatur impoſſibile penitus eſſe aditum ad ſalutem æternam cuivis extra Eccleſiam Romanam: etenim ipſi fatentur neſcientiam eorum quæ ex præcepto ſunt credenda, excuſari per ignorantiam inculpabilem.

V. Cæterum adverſus fidem Symboli Apoſtolici, ne eam nobis concedant, ſcio oppoſituros, deficere nos in articulo credendi Eccleſiam Catholicam; hanc nos rejicere contendunt, dum Romanam rejicimus, quam ſolam eſſe merito dicendam Catholicam putant.

VI. Adverſus hanc ſolenniſſimam ipſorum objectionem nervoſe pariter ac modeſte diſſeruit eximiæ ſapientiæ Rex Jacobus in ſua ad Cardinalem Peronium reſponſione per Iſaacum Caſaubonum pag. 19 aiens, Catholici appellationem nemini denegari poſſe qui tria *Symbola* admittat, Apoſtolorum, Nicenum, Athanaſianum; qui

item quatuor œcumenica Concilia prima, Nicenum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe; poſtremo qui omnia credat quatuor primis ſeculis exiſtimata ad ſalutem creditu neceſſaria, quæ omnia præſtat Eccleſia Anglicana. Quam regis prudentiſſimi ſententiam inferius propugnabimus adverſus molimina Suarii, inter ſolvenda adverſariorum argumenta.

CAP. IV.

Secundum & tertium argumentum ex authoritate Conciliorum Arauſicani, & Tridentini; & Pontificum Romanorum Alexandri ſeptimi, & Innocentii decimi.

I. PRobatur ſecundo noſtra concluſio quoad utramq; ipſius partem, quod ſcilicet adverſentur Pontificii tum veritati, tum ſuis ipſorum principiis, aſſerendo neminem poſſe ſalvari extra communionem ſuæ Eccleſiæ. Probatur, inquam, ſecundo authoritate concilii Arauſicani ſecundi, canone ultimo ſic ſtatuentis. *Hoc ſecundum fidem catholicam credimus, quod acceptâ per Baptiſmum gratia, omnes baptizati, Chriſto auxiliante & cooperante, quæ ad ſalutem pertinent, poſſint & debeant, ſi fideliter laborare voluerint, adimplere.* At extra Eccleſiam Romanam plurimi baptizantur, fideliter laborant, & ſerio conantur adimplere, quæ ad ſalutem ſunt neceſſaria, ſive per fidem, ſive per bona opera, quod nemo, niſi per ſummam temeritatem negaverit. Ergo ſi ſecundum fidem catholicam creditur, ſic fideliter laborantes

borantes poſſe per Chriſti gratiam quæ ad ſalutem pertinent adimplere, adeoque vitam æternam conſequi; contra fidem catholicam aſſeritur neminem extra communionem Eccleſiæ Romanæ poſſe ſalvari.

II. Id ipſum probari poteſt authoritate Concilii Tridentini Seſſ. ſexta, c. 11. ſic præcipientis: *nemo temeraria illa, & à patribus ſub anathemate prohibita voce uti debet, Dei præcepta homini juſtificato ad obſervandum eſſe impoſſibilia, nam Deus impoſſibilia non jubet, ſed jubendo monet & facere quod poſſis & petere quod non poſſis, & adjuvat ut poſſis.* Ergo ſub anathemate prohibita vox eſt aſſerere homini per Baptiſmum juſtificato deeſſe auxilia neceſſaria ad præcepta Dei ſervanda, adeoque vitam æternam obtinendam, ſi conetur ſincere cooperari gratiæ acceptæ à Deo. Eandem doctrinam repetit idem Concilium c. 13. ejuſdem ſeſſionis, monens fideles, quod in Dei auxilio firmiſſimam ſpem collocare debent omnes. *Deus enim (niſi ipſi illius gratiæ defuerint) ſicut cœpit opus bonum, ita perficiet operans velle & perficere.* Si omnes homines excitantur in hanc ſpem, nimis exorbitat qui de eorum ſalute deſperet, qui per ſacrum Baptiſmum facti ſunt Eccleſiæ catholicæ legitima membra; nullius hæreticæ pertinaciæ rei ſunt, qua ab illa dignitate decidant; credunt, & faciunt quæ requiruntur ad ſalutem: quales eſſe plurimos per reformatas Eccleſias, nemo (non nimis temerarius) negaverit.

III. Tertio item probatur authoritate Pontificum Romanorum, Innocentii decimi & Alexandri ſeptimi, qui doctrinam Cornelii Janſenii exponentes & damnantes, primam ipſius propoſitionem ſic referunt & ſtigmatizant. *Primam prædictarum propoſitionum, aliqua Dei præcepta hominibus juſtis volentibus & conantibus ſecundum præſentes quas habent vires, ſunt impoſſibilia; deeſt quoq; illis gratia, qua poſſibilia fiant: temerariam, impiam, blaſphemam,*

blaſphemam, anathemate damnatam, & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus. Ita expreſſis verbis Innocentius bulla expedita pridie calendas Junii anno ſalutis 1653. & Alexander rem eandem per eadem verba confirmans bulla ſua edita ſexto calendas Novembris 1656. Sane totus hic Pontificiorum fulminum nimbus, plene & plane comprehendit doctrinam oppoſitam concluſioni noſtræ, qua ſcilicet quis aſſereret hominem baptizatum, volentem & conantem ſecundum præſentes quas habet vires, Dei præcepta ſervare, itaque ſalvari; id aſſequi non poſſe. Nec equidem video quis maneat hic tergiverſandi locus; niſi forte contendas non idem eſſe Dei mandata cuſtodire, ac viam ſalutis æternæ tenere; ſecus quam definierat ipſe ſupremus Pontifex Chriſtus, qui cunctis ſciſcitantibus quid faciendo vitam æternam poſſiderent, non aliud repoſuit, quam ut Dei præcepta ſervarent. Ergo ſi temerarium, impium, blaſphemum, & hæreticum eſt aſſerere, quod homini juſto, volenti & conanti pro viribus Dei mandata ſervare, deſint auxilia ſufficientia ad id præſtandum; ſimiliter temerarium, impium, blaſphemum, & hæreticum erit aſſerere homini juſto à nobis in concluſione deſcripto, & tot adminiculis chriſtianæ diſciplinæ, ac bonæ intenſionis inſtructo, negari à Deo auxilia gratiæ, quibus poſſit ſalutem æternam obtinere.

CAP.

CAP. V.

Quartum argumentum adverſus eos ſpeciatim qui dicunt omnes ſine diſcrimine Chriſtianos, quantumvis fide & morum ſinceritate præſtent, ni Pontifici Romano pareant, hæreticos eſſe; aut ſchiſmaticos æternum damnandos.

I. EQuidem mirum videri par eſt, quod aliquis vel mediocriter verſatus in principiis communis Theologiæ ſic loquatur. Et tamen ex Romiſtis rarus aut nullus eſt, qui non id dicat palam. Etſi enim ex peritioribus plures aliter ſentiant, & à communi damnationis ſententia excipiendos putent bonæ fidei profeſſores reformatæ Eccleſiæ, quibus ſcilicet idoneis argumentis non innotuit ſe in errore quopiam circa veram religionem verſari; tamen id inter arcana imperii reticendum eſſe arbitrantur, & ſine diſcrimine dicendum, quoquot Romano Pontifici non ſubſunt, æternum damnari. Ego tamen etiam tum cum Romanæ Eccleſiæ partes acerrime defenſabam, & ſane ſincero animo, pari ſinceritate damnavi immanem hanc opinionem, & ceu impiam & temerariam refutavi, multis argumentis oſtendens, abſque ſtupida inſcitia, aut turpi nequitia & concepto mendacio dici non poſſe, omnes ſine diſcrimine Chriſtianos, qui Pontifici Romano non ſubſunt, eſſe damnandos, quorum argumentorum unum hic proferam.

II. Homo rite baptizatus, ſciens, & credens illos fidei articulos, qui ſimpliciter neceſſarii ſunt ad ſalutem, &

præterea ſatagens (quantum in ſe eſt) placere Deo, ſalvari poteſt. At extra communionem Eccleſiæ Romanæ plures ſunt, aut certe eſſe poſſunt hujuſmodi: ergo extra communionem illam homines poſſunt ſalvari. Major ex dictis hactenus conſtat, & ex terminis patet cuivis chriſtianè erudito. Minor æque certa eſt, quis non videat extra communionem Eccleſiæ Romanæ, per Angliam, Germaniam, Sueciam, Daniam, & alias plures Chriſtiani orbis regiones plurimos eſſe ritè baptizatos imprimis (quod extra controverſiam eſt;) deinde credentes quæ ſunt neceſſario credenda, ſcilicet Trinitatis divinæ & Chriſti incarnati myſteria, quibus ſane plura nullus Theologorum dixit eſſe neceſſario credenda, ſive ſimpliciter, ſive ex præcepto. Denique plures horum ſatagere, quantum in ſe eſt, placere Deo & ipſius præcepta ſervare, non niſi per ſummam temeritatem negaretur; ergo ſi fides, baptiſmus, & bonorum operum ſtudium ad ſalutem ſufficiant, extra communionem Eccleſiæ Romanæ homines ſalvari valeant.

III. Obſtrepunt Romiſtæ, extra Eccleſiam catholicam neminem ſalvari poſſe, quantumvis fide & virtutibus præſtet; ſolam autem congregationem Pontifici Romano ſubditam eſſe Eccleſiam catholicam. At ſtrepitum hunc omni argumento objectum, quibus diſputantium aures obtundunt. Inanem eſſe, ſuperius oſtenſum eſt, & pro re præſente ſpeciatim demonſtrabitur; etenim quotquot ſacro baptiſmatis fonte regenerantur, catholicæ Eccleſiæ membra fieri, atque ab ea dignitate lapſum non contingere niſi per hæreſin aut infidelitatem, conſtans eſt & indubitata Theologorum omnium, etiam Romanenſium ſententia; ergo nihil deeſt hominibus baptizatis, & credentibus quæ ſunt neceſſario credenda, adeoque nullius hæreſeos aut infidelitatis reis, quo minus ſint Eccleſiæ catholicæ legitima membra & ſalutis æternæ capaces.

IV.

IV. Opponunt Romiſtæ, inter articulos fide catholica neceſſario credendos, eſſe quod Romanus Pontifex ſit ſupremum Eccleſiæ chriſtianæ caput; cui tanquam paſtori univerſali parere debent omnes chriſtiani. At licet hoc verum foret, (quod tamen non eſſe manifeſte demonſtrabitur inferius [a]) attamen certe inter articulos explicite credendos non repoſuere Theologi. Sufficiat itaque talis myſterii fides implicita, qua ſcilicet quis eſſet paratus id etiam credere, ſi ipſi ſatis conſpicuum reddatur eſſe neceſſario, aut recte credendum. At plurimos extare per reformatæ Eccleſiæ provincias, qui fidem hanc implicitam habeant, id eſt, piam animi propenſionem ad credendum quicquid intelligerent ad integritatem chriſtianæ & catholicæ fidei ſpectare, nemo niſi temerarius dubitet; paris temeritatis fuerit negare plurimos ſic pie diſpoſitos extare, quibus nunquam ſufficienter perſuaſum eſt ad illam fidei integritatem ſpectare, quod Romanus Pontifex privilegio illo polleat, eique ſit ab omnibus chriſtianis obſequium præſtandum; qui nimirum per parentes, parochos, & propinquos, quibus credere uſus & natura juſſit, edocti fuerant Pontificem illum non Chriſti vicarium, ſed adverſarium eſſe; populi chriſtiani non paſtorem, ſed deceptorem.

V. An audebunt dicere fidem in Pontificem Romanum, ut ſupremum Eccleſiæ caput, magis neceſſariam eſſe ad ſalutem æternam, quam fidem in Chriſti reſurrectionem, aſcenſionem in cœlum, deſcenſionem ſpiritûs ſancti, & alios articulos in ſymbolo Apoſtolico, & ſacra Scriptura clare expreſſos. At horum fidem ſic neceſſariam prædicant, ut ignorantia invincibilis ſive inculpabilis faciat, ne ipſorum neſcientia ſit rudibus mortifera; nempe unam fidem in Deum trinum, & unum, Redemtorem, & remuneratorem, docent eſſe ſim-

[a] *Cap.* 12, & 13.

pliciter, ſeu neceſſitate medii, neceſſariam ad ſalutem. Sane in media ipſa Hiſpania & Italia frequens eſt pecorum cuſtodes, & alios ſimiliter rudes & impeditos excuſari à peccato, quod neſciant articulos fidei in ſymbolo Apoſtolico contentos, ob ignorantiam inculpabilem, ſive defectum inſtructionis. Et tamen abs dubio magis obvium & longe facilius ipſis erat invenire idoneos inſtructores ad articulos illos ediſcendos, quam pluribus reformatæ Eccleſiæ incidere in aliquos, qui aptis argumentis ipſis perſuaderent neceſſariam eſſe ad ſalutem æternam, fidem illam in Pontificem Romanum, quam ipſius aſſeclæ vellent univerſis obtrudere; ergo ſi ignorantia illa ſua excuſat ruſticos Hiſpanos, aut Italos à peccato, ob non cognitos primarios illos & indubitatos fidei chriſtianæ articulos, annon ſimilis & longe juſtior ignorantia incerti juris à Pontifice Romano prætenſi excuſabit reformatæ Eccleſiæ alumnos, à crimine lethali, ob non agnitum jus illud præfati Pontificis?

CAP. VI.

Illuſtratur amplius doctrina capitis præcedentis ex definitione hæreſeos à Pontificiis Theologis tradita.

I. AN credis fore aliquem mentis compotem, aut communis Theologiæ vel mediocriter peritum, qui ſerio inficietur vim argumenti præcedentis ad eos ſaltem excuſandos à crimine hæreſeos, & ſententia damnationis, qui bona fide, & ſimplici corde curant placere Deo per viam reformatæ Eccleſiæ, etſi neſciant

neſciant obedientiam eſſe præſtandam Romano Pontifici? Attamen quicquid ſentiunt, invaluit mos mihi nimis perſpectus, docendi palam, omnes univerſim & promiſcue hæreticos, vel ſchiſmaticos, aut etiam utriuſque criminis reos eſſe, qui Baptiſmum ſuſceperunt, Pontifici autem Romano non ſubſunt. Nimirum quicquid ſit de rei veritate, commodum videtur ad Romanæ ditionis incrementum hæc in terrorem prædicari, ne audeant homines Romana caſtra deſerere. At vero ut appareat quanto veritatis amore, qua dictorum cohærentia, & ſinceritate hæc doceant Romiſtæ; oſtendam quæ ſit apud ipſorum probatiſſimos Theologos hæreſeos definitio & explicatio, quantum adverſentur illorum theoremata feræ pariter ac falſæ iſti opinationi, quam repudiamus.

II. Eſt itaque hæreſis *error intellectûs liber & pertinax contra fidem in eo, qui fidem accepit.* Ita Suares diſp. 19. de fide, Sect. 1. Cano. lib. 22. de locis c. 2. Sanch. lib. 2. in decal. c. 1. & alii paſſim; ubi nota, ad hæreſin duo requiri, primo judicium erroneum, quod eſt quaſi materiale, ſecundo pertinaciam, quæ eſt, quaſi formale, & qua non poſita, ut recte ait S. *Auguſtinus* Epiſt. 16. *errare quidem potero, ſed hæreticus non ero.*

III. Porro errare pertinaciter, non eſt acriter & mordicus ſuum errorem tenere, aut per determinatam aliquam temporis moram in eadem perſeverare; ſed eſt eam tenere poſtquam contrarium eſt ſufficienter ei propoſitum, ſive quando ſcit contrarium teneri à vera Chriſti in terris Eccleſia, cui ſuum judicium præfert, ſive id faciat ex vana gloria, ſive libidine contradicendi, aliave cauſa. Ita Laim. lib. 2. tr. 1. c. 13. Buſemb. lib. 2. tr. 1. c. 4. Thomas Tamburinus lib. 2. in decalogum c. 1. 54. Caſtropalaus parte 1. tr. 4. diſp. 1. qu. 2. P. 1. diſt. 4. Conink diſp. 18. dub. 7. Bonaeina-

diſp. 2. de cenſuris quæſt. 5. Vaſ. 1, 2. diſp. 126. & alii communiter.

IV. Ex quibus varia corollaria pro variis caſibus inferunt, quorum aliqua quæ rei noſtræ deſerviant, ſed & eam penitus conficiant, hic apponam. Primo itaque ſic inferunt, nemo eſt hæreticus, quamdiu paratus eſt judicium ſuum Eccleſiæ ſubmittere, aut neſcit contrarium tenere veram Chriſti Eccleſiam; eſto ignorantia etiam culpabili & craſſa ſuam ſententiam mordicus tueatur. Ita conceptis verbis Laim. & Buſemb. locis ſupra citatis. Suar. diſp. 19. Sect. 3. Vaſq. 1, 2. q. 11. d. 2. Farinac. de hæreſ. q. 179. Aragon. 2. 2. q. 11. ar. 1. Azor. to. 1. lib. 1. c. 14. q. 9. Caſpenſis tr. 15. diſp. 5. Sect. 3. to. 2. Geſnald. tr. 3. com. 4. to. 3.

V. Secundo, ruſtici in Germania, aut Anglia, aliique homines ſimpliciores, qui hæretici habentur, & tamen pertinaces non ſunt, poſſunt abſolvi à ſuis parochis, quia non ſunt hæretici formales, habentque fidem catholicam in Baptiſmo acceptam, quæ non perditur, niſi errando pertinaciter. Ita totidem verbis præfati authores locis citatis.

VI. Tertio, hæreticus quamdiu ſectam ſuam judicat eſſe credibiliorem, vel æque credibilem, non tenetur credere, quia fides eſt nondum ipſi ſufficienter propoſita; ageretque imprudenter, ita Laim. lib. 2. c. 1. Sanch. & alii paſſim.

VII. Quarto denique inferunt, *quando iis, qui in hæreſi nutriti ſunt, perſuaſum eſt à puero, nos abjicere & perſequi verbum Dei, eſſe Idololatras, peſtilentes decceptores, ideoque tanquam peſtes fugiendos, non poſſunt ſtante hac perſuaſione ſalva conſcientia nos audire, & laborant ignorantia invincibili, cum non dubitent ſe eſſe in bona via.* Ita totidem, iiſdemque verbis Buſemb. lib. 2. tr. 1. c. 2. & apud ipſum Laim. & Sanch. Ita in ſcholis & ſcriptis loquuntur horum doctores, qui ad populum

lum clamant, hæreticos esse æternum damnandos, quotquot Pontifici Romano non parent, quicunque illi sint & quantumvis fide & probitate præstent. Vides nunc ex Augustino, & cunctis bonæ fidei Theologis, hæresin non constitui per errorem quemlibet, donec accedat pertinacia; vides pertinaciam non esse quamlibet adhæsionem etiam firmam & tenacem proprio judicio erroneo, nisi ei adhæreas postquam clare noveris illud adversari veræ Christi in terris Ecclesiæ. Vides non tantum ignorantiam invincibilem, sive inculpabilem (quod egodicebam) sed etiam crassam & culpabilem excusare ab hæresi. Vides denique hominibus in ejusmodi erroribus nutritis non licere viam suam deserere, donec sufficienter instruantur de veritate novæ fidei ipsis propositæ, atque de ipsa habeant evidentiam credibilitatis, quæ est communis Theologorum loquela in hac re.

VIII. Ex quibus promtum est videre cuilibet non sponte cæcutienti, non omnes universim & absque discrimine hæreticos esse & salutis æternæ incapaces, qui Romano Pontifici non subsunt, nulla ratione habita etiam eorum qui bona fide & in simplicitate cordis alias christianas Ecclesias sequuntur.

CAP. VII.

Protegitur explicatio hæreticæ pertinaciæ superius traditæ adversus aliquorum oppositiones.

I. His cum olim premerem acrius atroces bonorum hominum censores, & iniquos judices, ferum pariter ac imperitum bipedum genus, ut est feritas imperitiæ proles, maluerunt in celebres illos quos retuli ipso-

ipſorum Theologos, & in me ſimul, malignius invehi, quam mitius de proximis judicare; nodum in ſcirpo quærentes ſtatuerunt hæreſeos definitionem, illiuſque explicationem ex Theologis ſupra traditam accuſare, fatebantur hæreſin eſſe errorem liberum & pertinacem contra fidem veram; negabant tamen ad pertinaciam requiri, quod ſcias te opinari contra fidem.

II. Cupivi ſcire quid ipſi nomine pertinaciæ intelligant, & hoc unum reſcivi, neſcire quid dicant. Mittamus igitur pertinaciam tantiſper, inquam, an non concedetis hæreſim eſſe actum liberum & voluntarium intellectûs errantis contra fidem? Annuerunt eſſe; at de conceptu eſſentiali agentis liberi & voluntarii eſt noſce quid agat, ergo intellectus ut libere & voluntarie opinetur contra fidem, debet ſcire ſe contra fidem opinari. Sane ita nos manu duxerunt ſcholarum antiſtites, ut nullum actum credamus eſſe peccaminoſum in aliquo genere aut ſpecie, quin idem ſit liber & voluntarius in tali genere aut ſpecie. Liberum aut voluntarium eſſe non poſſe in aliquo genere aut ſpecie, abſque cognitione malitiæ ejuſmodi genus aut ſpeciem conſtituentis; hac ratione à crimine homicidii voluntarii excuſatur, qui hominem occidit, putans eſſe feram. Ab hæreſi vindicantur Origenes, Tertullianus, & alia clariſſima Eccleſiæ lumina, etſi plura tradiderint articulis fidei adverſa, quoniam ipſi neſciebant ſic adverſari.

III. Replicabant, ſi hæc obtineant, & hæreticus non ſit, niſi qui ſciat ſe contra fidem veram agere, rarum aut nullum extare hæreticum. Reſpondi ad conſequens; illud commodi non abſurdi locum apud me habiturum, & gaudium potius quam dolorem allaturum, quod rarus aut nullus ſit vere hæreticus; nec enim is ſum, qui vel famulos Deo, vel fratribus felicitatem invideam.

IV. Re-

IV. Reſpondi præterea conſequentiam eſſe falſam; conſtat enim nimis certo, plures eſſe qui ſcientes & volentes fidem veram deſerant, ob mundana commoda. Qui id fieri non poſſe obſtrepunt, interrogo, num ipſi quicquam aliquando patraverint, quod ſcirent adverſari legi divinæ? Si non fecerunt, certe nunquam peccarunt. Hoc ſi dicant, audiant Joannem, [a] *ſi dixerimus quod peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* Unde igitur rogo factum eſt impoſſibile, ut ambitus, luxus, & avaritia, adigant homines ad tranſgrediendas ſponte Dei leges in rebus fidei, ſicut in aliis rebus eas tranſgredi faciunt?

CAP. VIII.

Quintum argumentum ad homines, ex vulgata apud Romanos Theologos opinione, de poſſibilitate ſalutis omnibus hominibus data.

I. PRobatur quinto eadem doctrina, & valide confirmatur à fortiori ex alia apud Theologos Romanos ſtabilitâ ac certâ; nimirum Deum Opt. Max. non tantum iis, qui chriſtiano nomine gloriantur, ſed & omnibus hominibus univerſim, etiam in ultima barbarie natis & enutritis, providere jugiter media ſufficientia ad vitam æternam conſequendam, eoſque prævenire auxiliis ſupernaturalibus ad eliciendos actus ſalutares intellectus & voluntatis, ſive explicite, ſive implicite continentes quicquid ad eorum æternam ſalutem neceſſarium eſt. Propter quod gentium doctor Paulus c. 1.

[a] 1 Joan. v. 8.

Epiſt. ſuæ ad Romanos, declarat inexcuſabiles extitiſſe apud Deum de ſuâ infidelitate Gentiles, qui hujuſmodi notitia inſtructi, in ſua perfidiâ permanſerunt. Quæ ſane notitia ſi re ipſa ſufficiens non eſſet ad placendum Deo, fieri non poteſt ut inexcuſabiles apud Deum fuiſſent. Nec enim ipſe auſterus ille eſt, qui tollit quod non poſuit, & metit quod non ſeminavit; ut infra declarabo.

II. Nimirum ſi eidem Apoſtolo credis ad Timotheum ſcribenti, c. 2. *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire.* Vult autem ſane ſerio, & non ſudicro. Nec enim ille eſt, qui *vult & non vult piger*, de quo Prov. 13. 14. Sed impiger animarum venator, & amantiſſimus ſponſus, qui Apoc. 3. 20. ita de ſe teſtatur; *Ecce ſto ad oſtium & pulſo; ſiquis audierit vocem meam & aperuerit januam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum.* Nam ut habet Joan. c. 1. *Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem, venientem in hunc mundum.* Ex quibus & aliis ſimilibus ſacræ Scripturæ verbis inferunt Patres & Theologi, omnibus omnis ævi & loci hominibus conceſſa & præparata à Deo eſſe auxilia ſufficientia ad ſalutem, pro tempore & loco unicuique ſtatui proportionata.

III. Libet venerabilis Oroſii, qui Auguſtino familiaris erat, verba in hanc rem apud Amicum laudata exſcribere. *Mea*, inquit, *ſemper hæc eſt fidelis atque indubitata ſententia, Deum adjutorium ſuum non ſolum in corpore ſuo, quod eſt Eccleſia, cui ob credentium fidem gratiæ ſuæ dona largitur; verum etiam univerſis in hoc mundo gentibus, propter longanimem ſui æternamque clementiam, ſubminiſtrare: non, ut tu aſſeris cum tuo diſcipulo Cœleſtio, in ſuo naturali bono, & in libero arbitrio generaliter univerſis unam gratiam contributam; ſed ſpeciatim quotidie per tempora, per dies, per momenta, per annos, & cunctis & ſingulis miniſtrare.* IV.

IV. Subsequatur in eundem scopum D. Prosper Augustino itidem addictissimus, qui lib. 2. de Vocat. Gen. c. 4. cum docuisset Deum non tantum populum Israeliticum, sed cunctas præterea hominum gentes vario gratiæ suæ lumine ad se invitasse, sic concludit. *Sicut enim ista gratiæ largitas, quæ in omnes gentes novissime effluxit, non evacuat eam quæ super unum Israel sub lege roravit, nec præsentes divitiæ fidem præteritæ abrogant parcitati: ita nec de illa cura Dei, quæ Patriarchorum filiis proprie præsidebat, conjiciendum est gubernacula divinæ misericordiæ cæteris hominibus fuisse subtracta, qui quidem in comparatione electorum videantur abjecti, sed nunquam sunt manifestis occultisque beneficiis abdicati.*

V. Vide sacræ scripturæ & Conciliorum, Patrum & Theologorum testimonia ingenti apparatu in hanc sententiam congesta, apud Johannem Martinez de Ripalda disp. 20. de Ente supernaturali per totas 22. Sect. & apud Franciscum Amicum to. 3. disp. 28. Sect. 4. Ex Scholasticis hanc doctrinam diserte tradunt plurimi, [a] ita ut num. 92. disputationis citatæ dicat idem Amicus hanc sententiam esse inter Theologos certissimam, & in omnibus christianis Academiis receptam; & contrariam esse erroneam, nec posse sine errore defendi. Quæ etiam gravioribus censuris videtur obnoxia ex definitionibus Pontificum Innocentii decimi & Alexandri septimi Bullis supra commemoratis, in quibus quintam Jansenii propositionem, quâ asserebat tantum pro prædestinatis Christum fuisse

[a] *Bonaventura in 1. disp. 46. art. 1. q. 1. Thomas in 1. dist. 46. q. ar. 1. & in 3. dist. 28. q. 1. art. 4. Scotus in 1. dist. 46. q. un. Bellar. l. 2. de Gratia & libero arb. c. 5. Suarez de Trinitate lib. 4. de supernaturali Dei Providentia. a. c. 1. Molina 1. p. q. 23. ar. 4 disp. 1. mem. 4 Valentia 1. 2. disp. 8. q. pun. 4. Granados 1. 2. controv. 8. de Gratia tract. 6. disp. 1. Sect. 5. Joannes Cardinalis de Lugo tr. de Fide disp. 12. Petrus Hurtado disp. 40. de Fide. Franciscus Amicus to. 3. disp. 28. Sect. 4. & apud ipsum Durandus. Sotus. Zumel. Bannez. Medina, Alvarez. Ocham. Alensis, Ferrar. Major. Driedo. Vega.*

mortuum, adeoque non omnibus hominibus præstita fuisse auxilia sufficientia ad divina præcepta servanda, & salutem obtinendam, declarant esse *impiam, blasphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem.*

VI. Ex hac inquam doctrina sic apud celebriores Romanæ Ecclesiæ Theologos stabilita ac certa, dixi confirmari à fortiori illam in conclusione à nobis traditam. Si enim barbaras quasque gentes, ad quas nulla unquam christiani nominis cognitio perducta est, sic illuminat Deus, ut nulli earum media non subministret, quibus vitam æternam consequi valeant, si velint; quantæ temeritatis pariter ac impietatis fuerit asserere, homines baptizatos, credentes quæ sunt necessario credenda, nullius pertinaciæ hæreticæ conscios, satagentes insuper quantum in se est placere Deo, destitui auxiliis divinæ gratiæ, quibus id assequi valeant & vitam æternam obtinere, ob unam ignorantiam eamque inculpabilem articulorum aliquot, quorum scilicet addiscendorum facultatem non habuerunt.

CAP. IX.

Sextum argumentum ex maligna opinione adversariorum de divina bonitate.

I. PRobatur sexto doctrina nostra ex maligna opinione quam de bonitate divina concipere videntur adversarii, ut scilicet homines æternis pœnis devoveat, ob non reddita talenta quæ ipsis nunquam tradiderat, juxta dictum illius servinequam apud Lucam commemorati c. 19. v. 21. *homo austerus es, tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti.*

II. Equi-

II. Equidem consimile iniquæ austeritatis crimen in agendo cum famulis suis Deo imponunt doctores isti, dum aiunt rationem iniri ab eo cum hominibus eamque rigidissimam, circa talenta ipsis nunquam commissa; sed & capitali pœna in eos sævire, eo quod non reddant quæ nunquam acceperint! Quæ utique omnia haud obscure efferunt, aientes hæreticos esse, adeoque æternùm damnandos innumeros homines, cæteroqui Christianos & pios, eo quod articulos aliquot per Romanam Ecclesiam assertos negent, aut nesciant, esto id absque aliqua ipsorum culpa contigerit, cum scilicet Deus neque per se, neque per alium, cognitionem aliquam ejusmodi articulorum ipsis indiderit; qui sane propositus mihi casus erat. Supponebatur enim per Angliam, Sueciam, aliasque regiones plurimos extare etiam Christiane eruditos, quibus nunquam credibiliter persuasum est, obedientiam ab omnibus esse præstandam Romano Pontifici; in Sacramento Eucharistiæ fieri transmutationem substantiarum &c. Qui igitur horum nescientiam hominibus illis lethiferam esse dixerit, idem improperaverit Deo austerum esse, tollere quod non posuit, & metere quod non seminavit.

CAP. X.

Septimum argumentum ad hominem contra adversarios.

I. SEptimo probatur assertio nostra, ad hominem retorquendo censuras hæreseos adversus sævos istos bonorum hominum censores. Dicitis hæreticos

esse æternum damnandos, quotquot Romano Pontifici obedientiam non præbent, quantumvis fide & moribus quoad cætera præstent, esto fuerit ipsis nunquam credibiliter ostensum talem obedientiam esse necessariam ad salutem, seu ad integritatem fidei christianæ spectare. Ergo pari consequentiæ filo vos quoque hæretici estis censendi, ob plurimos ignoratos certiores fidei christianæ articulos, nimirum multa divinæ Trinitatis, incarnationis, prædestinationis, & providentiæ mysteria, sacræ Scripturæ arcana, Conciliorum & Pontificum decreta, quæ vos inter articulos fidei reponitis, quæque omnia vobis per explicitam fidem credita aut cognita esse, non nisi per maximam arrogantiam diceretis. Quidni igitur liceat cuipiam ex reformatæ Ecclesiæ alumnis, sic quempiam ex vobis rigidum censorem compellare. *Ex ore tuo te judico serve nequam*: ais me hæreticum esse, ob aliquos ignoratos fidei articulos (libet nunc disputationis causa supponere veros fidei articulos esse illos quos mihi obtrudis) etsi inculpabiliter eos ignorem, in quibus scilicet nunquam fui instructus. Ergo tu similiter hæreticus es dicendus, ob plurimos ignoratos rerum credendarum articulos, quarum tamen addiscendarum copiam tu forte ampliorem habuisti, quam ego habui illorum quorum nescientiam contendis mihi fatalem fore.

CAP. XI.

Confutantur asserentes nemini per Angliam aut Hyberniam patrocinari ignorantiam invincibilem, ne hæreticus sit, si Romano Pontifici non obediat.

I CUm superioribus argumentis premerentur quidam, ne veritati aut charitati manus darent, negabant per regiones istas, in quibus Romano-catholici cum Protestantibus mixti sunt, ulli manere patrocinium invincibilis sive inculpabilis ignorantiæ, ne hæreticus sit, si obedientiam Pontifici Romano, & fidem articulis quos credendos proponit, non præstet; scilicet ubi tanta suppetit instructorum copia, à quibus edoceri valeant, si velint, pertinaciæ reos esse quotquot Romanæ doctrinæ non parent.

II. Hæc ego eo ægrius audiebam, quod scirem fidenter dici à pluribus, qui Protestantibus circumdati nulli eorum aliquando circa religionem quæstionem movebant, aut si faciebant, risum potius & contemtum quam reverentiam suæ causæ conciliabant; tantum aberat ne evidentiam illam credibilitatis dictis suis facerent, quam esse necessariam ad fidem novam capessendam ipsorum Theologi passim docent, ut superius indigitatum est cap. 5.

III. An contendent isti animosi pugiles illustriora argumenta per ipsos ostendi Protestantibus pro Pontificia causa promovenda, quam Christus Dominus proposuerat Judæis in suæ doctrinæ commendationem. Et tamen moriens rogat patrem ut eorum ignorantia

in

in asylum ipsis sit adversus turpissimi erroris sui condignum supplicium.

IV. Præterea communissima Theologorum sententia est, non tantum articulorum istorum quos credendos obtrudit Romana Ecclesia, reluctante tanta christiani orbis parte possibilem esse ignorantiam invincibilem, sed & omnium mysteriorum quæ ex Dei revelatione sentent, & nisi ejus adminiculo cognosci non possunt. [a] *Ita Suarez. Valentia, Azor.* & alii plurimi.

V. Qui sic negant possibilitatem ignorantiæ invincibilis, forte putant eam esse quæ nulla omnino vi aut ratione vinci, aut deponi valeat. At non is peritorum sensus est, qui ignorantiam invincibilem eam vocant quam quis pro concessa sibi facultate vincere nequeat. Hac ratione frequentissimum est in media ipsa Italia aut Hispania pecorum custodes & alios sic rudes aut impeditos per ignorantiam invincibilem excusari à peccato, ob nescientiam divini decalogi & symboli Apostolici &c. Cur, bone Deus, non etiam censeatur excusabilis à peccato nesciendi obedientiam Pontifici Romano præstandam, v. g. bubulcus aut opilio inter Protestantes natus, & enutritus per montes Daniæ, aut Sueciæ, vel etiam Scotiæ, & Hyberniæ, qui nihil unquam de Pontifice illo audiverat, nisi forte quod sit Antichristus aut meretrix Babylonica. Præsertim si credendum Aquinati est, & aliis post ipsum celeberrimis Theologis, docentibus satis esse pueris & rudioribus, si ex parentum institutione credant. Accipe Aquinatis verba in hunc scopum 2. 2. q. 2. art. 6. ad 3. *Humana cognitio non fit regula fidei, sed veritas divina; à qua*

[a] *Suar. de Fide disp. 17. Sect. 1. Vasq. 1. 2. disp. 120. c. 3. Valentia to. 2. disp. 6. q. 6. pun. 1, Azor. to. 1. lib. 1. com. 13. quæs. 1. Sanchez de Præceptis lib. 1. com. 26. Salas de Peccatis q. 76. tract. 13. disp. 8. Sect. 4. Coninck disp. 28. de Fide, dub. 2. Tannerus de Fide disp. 1. q. 8. dub. 1. Puente Hurt. in 2. 2. disp. 65. Sec. 2. Filliuc. to. 2. tr. 22. c. 4. Castro-Palaus to. 2. tr. 4. disp. 2 pun. 2. Granad. to. 3. tr. 15. disp. n. 5.*

si

ſi aliqui majorum deficiant, hoc non præjudicat fidei ſimplicium, qui eos rectam fidem habere credunt, niſi pertinaciter eorum erroribus in particulari adhæreant contra univerſalis Eccleſiæ fidem. In eandem ſententiam ita ſcribit Gabriel Vaſquez, 1. 2. diſp. 220. c. 3. *Præterea ſi alicui circa fidem & religionem, quam ipſe profitetur, dubitatio aliqua ſubrepat, ſuæ conſcientiæ ſatisfeciſſe videbitur, ſi majores, quos peritiores judicat, adierit & conſuluerit, illi autem in ſuo errore illum confirmabunt.* Idem docent Suarez diſp. 4. de Fide. ſect. 5. n. 7. Valentia, Hurtado, Conink. Granados, Tannerus, Torres, quos refert & ſequitur Sherlogus to. 2. in Cantica veſtigat. 7. Nimirum ſane hominibus ſat eſt, humano, id eſt ſibi poſſibili modo, ſatagere ut placeant Deo ſuo bono, qui novit figmentum noſtrum, & Angelis præconibus imperavit, ut pacem annuncient hominibus bonæ voluntatis.

VI. Interim monuerim chariſſimos fratres meos Romanæ Eccleſiæ ſcriptores, ne pergant deinceps hunc ignorantiæ aſylum errantibus occludere. Nec enim, puto, ullos eſſe qui eo magis indigeant, quam ſuæ congregationis homines: quos nimirum ſtudioſe ad ignorantiam erudiunt inſtructores ſui, nunquam alioqui præſtituros vere cæcam illam obedientiam, quam ab iis exigunt, quique ab aliis velamen illud oculorum reſpuentibus, omnium perditiſſimi cenſerentur, niſi illos ignorantia ſua protegeret.

VII. Supponebam ego olim educationis præjudicio, potius quam ſciebam, reformatæ Eccleſiæ homines erroribus aliquot involvi; quos tamen ipſis lethiferos non fore, beneficio probabilis, ſeu inculpabilis ignorantiæ, contendebam per argumenta hactenus expoſita, ut ſic contribules & fratres priſtinos in officio chriſtianæ charitatis continerem, ne obvios quoſque Proteſtantes ex nomine ipſo hæreticos & Dei hoſtes æſtimarent, ac

ut tales averſarentur. Jam vero non per cæcas conjecturas, ſed certiſſime ſcio (ſi quid tamen per accuratam inquiſitionem ſcire hominibus conceditur) hodiernam Romanæ Eccleſiæ praxim multis & graviſſimis erroribus obnoxiam eſſe; cupio ex animo ut ipſorum ignorantia (quam ſcio latiſſime ſerpere uſque etiam ad plurimos cæteroqui doctiſſimos & pientiſſimos viros) eis profit apud Deum & homines, ac propter eam mitius de ipſis judicium feratur. Nec minus certus ſum Eccleſiam reformatam, præcipue vero Anglicanam, immunem eſſe ab erroribus quos ipſi imponunt, ac in pacis obſtacula objiciunt Pontificii; quod quidem oſtendere ſubſequentium capitum opus erit, ne deinceps putem in reformatorum patrocinium ignorantiam eſſe accerſendam.

CAP. XII.

Octavum argumentum ductum à novitate dogmatis iſtius Pontificii, & atrocitate ipſius ſi ad orientales & alias antiquas Eccleſias Pontifici Romano nunquam ſubditas extendatur.

1. EXtra Eccleſiam Pontifici Romano ſubditam (inquiunt Romanenſes hodierni) nemo poteſt aſſequi vitam æternam. [a] *Ab initio autem, plane, non fuit ſic.* Non ita doctor gentium Paulus gentes docuit. Non ita Petrus ipſe Judæos aut Romanos. Non ita alii Apoſtoli alias ſibi concreditas Eccleſias erudierunt. Non Petrum aut Paulum aut ſeipſum denique ullus

[a] *Mat.* 19. 8. *See Dr Pierces Sermon on this text, preach'd at Whitehall 1662 "The Primitive Rule of Reformation".*

ullus ipſorum, ſed unum Dominum Jeſum omnium Eccleſiarum caput annunciabant. Quod ſenioribus ſive Præsbyteris, qui erant in Eccleſia, præſcripſit *conſenior Petrus* (ſic enim ſe appellat) ne ſint [a] *ut dominantes cleris*, id ipſe egregie præſtitit; nullum exſtat dominationis ipſius in cleros veſtigium, ſed plura obedientiæ & ſubmiſſionis. [b] Objurgationem Pauli patienter tulit. [c] Miſſus ab Apoſtolis qui erant Hieroſolymis in Samariam ſimul cum Joanne, promte obſequutus eſt. Quod ſane ſubjectionem potius quam dominatum arguit; nimirum ſingulis Apoſtolis æqualis erat, omnibus autem inferior.

II. Porro Apoſtolus Paulus [d] Corinthios acriter objurgat, quod vel ſibi, vel Petro, vel alteri cuipiam Apoſtolorum, principatum aut præcellentiam tribuiſſent, ſcilicet unum eſſe dominum Jeſum, cæteros vero miniſtros. Et cum ſæpius mentionem feciſſet capitis Eccleſiæ, nuſquam Petri meminit. Imo ad [e] Galatas ſcribens diſerte tradit, ſuas cuique divinitus fuiſſe præſcriptas metas in Apoſtolico, ſive paſtorali munere exercendo, tam Petro quam ſibiipſi: ne quiſpiam dici debeat ſupremus aut univerſalis paſtor; atque juxta hanc divinam ordinationem ipſos quoque pactum iniiſſe, ut ſuos quiſque obſervaret miniſterii limites. [f] *Cum vidiſſent*, inquit, *quod creditum eſt mihi Evangelium præputii, ſicut & Petro circumciſionis, (qui enim operatus eſt Petro in Apoſtolatum circumciſionis, operatus eſt & mihi inter gentes) & cum cognoviſſent gratiam quæ data eſt mihi, Jacobus & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ eſſe, dextras mihi dedêrunt & Barnabæ ſocietatis, ut nos in gentes, ipſi autem in circumciſionem Apoſtolatu fungerentur.*

III. Habes hic ordinatione primum divina, dein

[a] 1 *Petr.* 5. *v.* 1, & 3. [b] *Gal.* 2. 11. [c] *Act.* 8. 14. [d] 1 *Cor.* 1. 3. [e] 1 *Cor.* 12. *Epheſ.* 1. *Coloſ.* 1. 2. [f] *Galat.* 2. 7.

mutuo Apoſtolorum pacto, ſuas cuique deſignatas miniſterii provincias; neminem fuiſſe conſtitutum Eccleſiarum omnium principem, aut paſtorem univerſalem. Quod ſi iſtam ſupremi & univerſalis Epiſcopi poteſtatem Chriſtus Petro contuliſſet, quomodo, quæſo, vel ipſe Petrus, vel alii Apoſtoli auſi fuiſſent ipſius poteſtatem decimo octavo poſt Chriſti aſcenſionem anno tantopere coarctare? Quomodo Chriſtus dominus, contendentibus Apoſtolis de primatu, ſi Petrum conſtituit eſſe principem, non id indicavit; ſed omnibus prohibuit dominatum ambire, [a] id gentium eſſe, non diſcipulorum ipſius. Probe id noverat Cyprianus, qui Epiſt. 67. de Unitate Eccleſiæ ita teſtatur. *Hoc erant utique cæteri Apoſtoli, quod fuit Petrus, pari conſortio præditi & honoris & poteſtatis.* Item Cyrillus Alexandrinus qui in Epiſtola ſua ad Neſtorium per Concilia generalia 3^m^ 4^m^ & 5^m^ ſimul cum ſymbolo Alexandrini Concilii approbata, ita ſcribit: *Petrus & Joannes æqualis ſunt ad alterutrum dignitatis, propter quod Apoſtoli & ſancti diſcipuli eſſe monſtrantur.* Non igitur à Chriſto, non ab Apoſtolis ipſius exiit hic ſermo. Epiſcopus Romanus, utpote Petri ſucceſſor, paſtor univerſalis eſt totius Eccleſiæ fidelium, cui omnes obtemperare debeant ſub pœna mortis æternæ.

IV. Quid de viris Apoſtolicis, qui poſt Apoſtolorum tempora, per quingentos annos Eccleſias rexerunt, & ſcriptis ſuis fideles erudierunt? An quiſquam eorum hanc doctrinam novit, aut docuit? An ex ipſis Romanis Epiſcopis aliquis eam exercuit? Plane nullus omnino aut novit, aut docuit, aut exercuit. Ejus rei inſtar multorum teſtis locupletiſſimus & omni exceptione major adeſt Gregorius Magnus Pontifex Romanus, quo non alius ſanctior aut doctior ſedem illam deinceps tenuit, quiq; poſt ſeculum à Chriſti nativitate quintum

[a] *Mat.* 20. *v.* 25.

floruit

floruit. Is cum plurimis Epiſtolis ampliſſimis & graviſſimis, ad Principes & Præſules ſcriptis, acerrime objurgaſſet Joannis Epiſcopi Conſtantinopolitani ſuperbiam, in nomine *Univerſalis Epiſcopi* uſurpando, diſerte teſtatur neminem unquam ex Romanis Epiſcopis anteceſſoribus ſuis illiuſmodi nomen aut dignitatem uſurpaſſe; porro rationes ſuggerit, quæ demonſtrent nulli omnino licere ejuſmodi nomen aut dignitatem aſſumere. Accipe luculentiſſima ipſius in hanc rem verba, Regiſtr. l. 4. Epiſtola 36. ad Eulogium Alexandrinum Epiſcopum & Anaſtaſium Epiſcopum Antiochenum. *Nullus*, inquit, *unquam deceſſorum meorum hoc tam prophano vocabulo uti conſenſit, quia videlicet, ſi unus Patriarcha univerſalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris denegatur. Sed abſit hoc, abſit à Chriſtiana mente, id ſibi velle quempiam arripere, unde fratrum ſuorum honorem imminuere ex quantulacunque parte videatur.* Et inferius injuriam Chriſto unico & vero Eccleſiæ capiti, ipſique Eccleſiæ eo molimine illatam his verbis explicat. *Factantiam ſumſit, ita ut univerſa ſibi tentet adſcribere, & omnia quæ ſoli uni capiti cohærent, videlicet Chriſto, per elutionem pompatici ſermonis, ejuſdem Chriſti ſibi ſtudeat membra ſubjugare. Et cum fortaſſe in errore perit qui univerſalis dicitur, nullus jam Epiſcopus remanſiſſe in ſtatu veritatis invenitur.*

V. Pende, lector, hæc poſteriora Magni Gregorii verba, graviſſimum incommodum Papalis ambitionis exprimentia, nimirum ſi ipſe, quod humanum eſt, in errorem labatur, omnes ſimul Epiſcopos in verba ipſius jurantes, & cæca obedientia eidem obſtrictos, pariter cum ipſo lapſuros, ut non ſit deinceps qui cadentibus manum auxiliatricem porrigat.

VI. Heu quam luctuoſo experimento compertum eſt hoc incommodum à Gregorio præviſum, poſtquam Romanus Pontifex monarchicam poteſtatem in

Eccleſiam uſurpavit: non eſt ulterius qui ipſius errores aut exorbitantias arguat, ut Gregorius præſtitit in Joannem Conſtantinopolitanum; non eſt qui in faciem ei reſiſtat, ut Paulus Petro reſtitit. Nec Concilio cedit, ut Petrus ceſſit Apoſtolorum cœtui Hieroſolymis. Conciliis imperat, non obtemperat: & vota omnium, quo vult, verſat. Unus ipſe inſtar omnium, & ſuper omnes.

VII. Denique ne quis putet Gregorium ſic caſtigando Joannis Conſtantinopolitani ambitionem, ſibi ipſi aut ſedis ſuæ præcellentiæ conſuluiſſe (quod nonnulli ex Pontificiis hodiernis ſub pondere argumenti fatiſcentes, ſunt commenti, per inſignem ſive inſcitiam ſive pertinaciam, certe non ſine gravi tanti viri injuria) talis conſilii invidiam epiſtola eadem à ſe propulſat his verbis. *In damnando generalitatis nomine, noſtrum ſpecialiter aliquid non amamus.*

VIII. Porro idem Gregorius Regiſtr. l. 48. Epiſt. 38. ad ipſum Joannem Conſtantinopolitanum ſcripta, hujus arrogantiam exagitat illis ipſis argumentis, quibus hodiernus Pontificum Romanorum conſimilis faſtus reprehendi conſuevit. "Tanto, inquit, major efficeris, quanto te à ſuperbi & ſtulti vocabuli uſurpatione reſtringis. Atque in tantum proficis, in quantum tibi non ſtudueris arrogare, fratribus derogare. "Certe Paulus Apoſtolus cum audiret quoſdam dicere; "Ego ſum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ; hanc "dilacerationem corporis Dominici, per quam membra "ejus aliis quodammodo capitibus ſociabant, vehementiſſime perhorreſcens exclamavit, dicens: numquid Paulus pro vobis crucifixus eſt, aut in nomine "Pauli baptizati eſtis? Si ergo ille membra Dominici "corporis certis extra Chriſtum quaſi capitibus, & ipſis quidem Apoſtolis ſubjici particulariter evitavit, tu "quid Chriſto univerſali ſanctæ Eccleſiæ capiti in extre-

"extremi judicii es dicturus examine, qui cuncta ejus "membra tibimet conaris universalis appellatione sup- "ponere? Quis rogo in hoc tam perverso vocabulo, "nisi ille ad imitandum proponitur, qui despectis Ange- "lorum legionibus secum socialiter constitutis, ad cul- "men conatus est singularitatis erumpere, ut & nulli "subesse, & solus omnibus præesse videretur? Tantum abfuit, ne Gregorius titulum illum universalis Episcopi sibi esse assumendum existimaret. Videant modo successores ipsius, qui ejusmodi titulum tam avide arripiunt, quam longe à Gregorii spiritu aberraverint, quomodo graviſſimam illam ipsius objurgationem sustinuerint.

IX. Celebre omnino est Gregorii dictum reverentiam suam erga quatuor prima œcumenica Concilia testantis lib. 1. Epist. 24. his verbis: *sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic quatuor Concilia me fateor venerari.* At certe omnia illa quatuor Concilia extra ditionem Episcopi Romani celebrata sunt. Nullus ex Patriarchis aut Præsulibus ea constituentibus obedientiam ipsi profitebatur. Omnia Patriarchalem tantum sive Metropolitanam dignitatem ipsi tribuebant, qualem habebant Alexandriæ, & Antiochiæ Patriarchæ. Et quidem primum illud celeberrimum Concilium Nicænum canone 6. Romanum Patriarcham ex antiqua consuetudine intra propriæ provinciæ limites se continentem, in exemplum proponit Alexandrino, Antiocheno & aliis Patriarchis, ut & ipsi pariter intra fines suæ cujusque Provinciæ se continerent. Idem statuerunt reliqua tria Concilia, ut liquet ex ipsorum actis. Interim non omittenda duxi Concilii Ephesini verba can. 8. statuentis: "ne ullus Episcoporum al- "terius provinciam invadat, neque sub specie admini- "strationis rerum sacrarum potentiæ secularis typhus "irrepat; sensimque imprudentes libertatem illam a-

mitta-

"mittamus, quam nobis proprio ſanguine Dominus no-
"ſter Jeſus Chriſtus omnium hominum liberator lar-
"gitus eſt.

X. Sed neque prætereundum hic videtur quod Concilium Conſtantinopolitanum œcumenicum c. 3. decreverit Conſtantinopolitanæ urbis Epiſcopum habere primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum, illique eſſe æqualem in omnibus privilegiis & prærogativis, eo quod ſit nova Roma. Unde liquet magnum illud Concilium totam Romani Pontificis præeminentiam ab ipſa ſola imperialis urbis dignitate profectam agnoviſſe, indeque jam parem voluit eſſe Romano Conſtantinopolitanum in dignitate, humaniſque privilegiis & prærogativis. Quod ſi dignitatem Romani Pontificis ex ſucceſſione ipſius in cathedra Sancti Petri metiendam eſſe judicaſſet Concilium, ſane non Conſtantinopolitanum ſed potius Antiochenum Patriarcham, utpote ſucceſſorem Petri in priori ipſius cathedra, ſupparem, aut potius ſuperiorem Romano pronunciaſſet.

XI. Et ſane abſurdum eſt quod cum Romanenſes hodierni totam Pontificis ſui eminentiam à ſucceſſione ipſius in cathedra Sancti Petri derivatam eſſe velint, eam ipſi poteſtatem monarchicam in Eccleſiam univerſam tribuant, quam nunquam Petrus aut vindicavit, aut exercuit; ut ſatis liquet ex dictis in principio iſtius capitis. Quid enim? ſanctiſſimus Chriſti Apoſtolus & fideliſſimus miniſter Petrus concreditum ſibi univerſalis Eccleſiæ regimen neglexiſſet, ut nullum veſtigium apparuerit ſolicitudinis ipſius circa acta Andreæ in Achaia, Thomæ in India, aut aliorum Apoſtolorum in aliis provinciis? Doctor gentium Paulus, & alii Apoſtoli fideliſſimi animarum paſtores, hanc doctrinam ad earum ſalutem neceſſariam, ſcilicet obedientiam ab omnibus eſſe præſtandam Romano Epiſcopo, diſſi-

diſſimulaſſent? Graviſſimus & ſapientiſſimus ille Eccleſiæ ſenatus, in quatuor primis œcumenicis Conciliis fidei chriſtianæ dogmata explicans, hoc ita neceſſarium conticuiſſet? Vigilantiſſimus ipſe Romanæ Eccleſiæ paſtor, & acerrimus cæteroqui propugnator Gregorius Magnus, illius patrocinium & curam in re tanti ponderis deſeruiſſet, non vindicando monarchicam ſuam poteſtatem in univerſam Chriſti Eccleſiam, ſi eam eſſe ipſi debitam credidiſſet?

XII. Ex his omnibus ita concludo adverſus Romanæ Eccleſiæ doctores hodiernos contendentes Pontificem ſuum eſſe totius Eccleſiæ caput & monarcham, cui omnes fideles obedire debeant ſub pœna mortis æternæ. Vel hæc veſtra doctrina novitia eſt, & inaudita in Eccleſia Chriſti per quingentos annos (ut eſſe videtur ex dictis hactenus;) vel antiqua eſt & à Chriſto tradita. Si primum fateamini, ipſa ſua novitate ſpernenda, damnanda, & eliminanda venit. Si contendatis antiquam eſſe, & à Chriſto traditam, conſequenter dicendum vobis erit clariſſimas illas orientis Eccleſias, quæ ſub ſuis Patriarchis per quadringentos & amplius annos ſanctitate & doctrina eximie floruerunt, ſimiliter & alias plurimas Eccleſias per Apoſtolos & alios viros Apoſtolicos eruditos, quæ Romano Epiſcopo nunquam paruerunt, hæreticas aut ſchiſmaticas extitiſſe. Cujus ipſius dicti atrocitas & temeritas inſtar totius argumentationis fuerit ad illud damnandum, & pudore confundendum ipſius authores.

CAP. XIII.

Confutantur Pontificii contendentes Pontifices ſuos Præſides egiſſe, aut dominatum hodiernum exercuiſſe in quatuor primis œcumenicis Conciliis.

I. QUoniam non exigui momenti res eſt antiquæ Eccleſiæ immunitatem ſuperius indicatam à dominatu Pontificis Romani tectam ſervare, operæ pretium duxi, aliquot Pontificiorum molimina adverſus illam hoc capite diſcutere & refellere. Equidem mirari ſatis non poſſum Bellarmini,[a] fiduciam intrepide aſſerentis Romanum Pontificem *Præſidem & Principem* egiſſe, etiam in quatuor illis primis œcumenicis Conciliis. Id jure ipſi competere probat ex eo quod Pontifex Romanus ſit pater & paſtor univerſæ Eccleſiæ. Quàm ſit hoc fundamentum fallax vidimus capite ſuperiori. Quoad factum ipſum (quod ad rem præſentem propius accedit) imprimis fatetur Bellarminus Romanum Pontificem nulli ex illis Conciliis per ſeipſum interfuiſſe. Ejus rei rationes ab aliis adductas ſpernens, duas ipſe ſubſtituit, ſane conſonas magis hodierno Paparum faſtui, quam ſanctitati virorum qui per illa tempora Romanam Eccleſiam regebant. Scilicet prima eſt, quod incongruum videretur ut caput ſequeretur membra. Secunda, ne Papa Romanus loco etiam materiali cederet Imperatori, ſi forte adeſſet. Arbitror injurium extitiſſe Bellarminum in hac re, imprimis Silveſtro viro ſanctiſſimo, qui Romanam Eccleſiam gubernabat tem-

[a] *Bellar. de Conciliis & Eccleſ. lib. c. 29.*

pore

pore primi Concilii œcumenici Nicæni. Eum [a] Euſebius Cæſarienſis qui ex Concilii illius patribus fuit, ab hac calumnia vindicat, aliam abſentiæ ipſius cauſam exhibens, nempe ſenilem ætatem. *Aberat quidem* (inquit ille) *Regiæ urbis* (ſcilicet Romanæ) *antiſtes ob ſenilem ætatem; ſed præſto erant Presbyteri qui vicem ejus implerent.*

II. At inquit Bellarminus per legatos ſuos in omnibus Conciliis præſidebant. Quoad Nicænum primum, id probat ex quadam præfatione Concilii Sardicenſis quæ habetur in primo tomo Conciliorum; & fortaſſe, inquit, eſt Dionyſii exigui, in qua habetur Hoſium Epiſcopum Cordubenſem in Concilio Nicæno legatum egiſſe Romani Pontificis, quod etiam intelligi poteſt ex quodam Græco codice qui habetur in Bibliotheca Vaticana. Porro Hoſium, Vitum, & Vincentium presbyteros præſidiſſe Concilio, ex eo probat quod primi ſubſcripſerint.

III. Plura hic miſcentur incerta & levia, quæ etiam licet certa forent parum, ad rem Bellarmini facerent. Quicquid ſit de illa quadam præfatione incerti authoris, & de codice Græco etiam obſcuro, certe majoris ponderis eſſe videtur authoritas Euſebii Cæſarienſis viri ſanctitate & doctrina longe clariſſimi, atque eo nomine in tanto honore apud Conſtantinum magnum habiti, ut in epiſtola ad ipſum ſcripta, cum ſedem Antiochenam recuſavit, hujuſmodi de illo teſtimonium dederit: "[b] tu quidem beatum te in hoc ipſo exiſtimare "debes, qui totius propemodum orbis teſtimonio dignus "univerſæ Eccleſiæ Epiſcopatu judicatus ſis. Nam "cum omnes te apud ſe Epiſcopum eſſe ambiant, hanc "tuam felicitatem ſine controverſia adaugent. Hic itaque tantæ integritatis vir cum ipſe inter Concilii Ni-

[a] *Euſeb. lib. 3. de Vit. Conſtantini c. 7.* [b] *Epiſtola Conſtantini ad Euſebium in Vit. Conſtantini apud Valeſium p. 518.*

cæni patres non poſtremus conſediſſet, nullam prorſus de Romano Epiſcopo mentionem facit, niſi quod eo ob ſenilem ætatem abſente, presbyteri quidam ipſius locum tenerent, verbis à nobis paulo ſuperius relatis. De Hoſio quidem ſæpius honorifice agit, eum tamen Imperatoris potius, quam Romani Pontificis nuncium & miniſtrum deſcribit. Eum ex Dei cultoribus, quos apud ſe habebat Imperator, unum appellat, miſſum ab ipſo cum literis ad Alexandrinum Præſulem & Arium, ut eos ad concordiam revocaret. Et inter numerandos Concilii patres, antequam de Romano Pontifice aut ipſius delegatis verba feciſſet (quos nimirum ſane poſtremo ipſo loco commemorat) hæc de Hoſio habet: [a] *Ab ipſâ quoque Hiſpania vir ille multo omnium ſermone celebratus conſedit.* Si Romani Pontificis legatus & Concilii præſes fuiſſet, cur id reticuiſſet tantæ fidei hiſtoricus apud Romanam Eccleſiam, ut inter ſanctos numeretur in Martyrologio Uſuardi his verbis: die 21. menſis Junii: Paleſtinæ ſancti [b] *Euſebii Epiſcopi & confeſſoris, viri excellentiſſimi ingenii & hiſtoriographi.* Item in Breviario & Miſſali Lemovienſis Eccleſiæ apud Valeſium.

IV. Sed quorſum demum hic tantus Bellarmini labor? cedo fuiſſet Hoſius Romani Pontificis legatus in illo Concilio; pie quidem & prudenter feciſſet Silveſter jus ſuum ferendi ſuffragium pro veritate chriſtiana committendo tantæ ſanctitatis & doctrinæ viro. Cedo etiam Hoſius ut Pontificis Romani locum tenens primus ſubſcripſiſſet, primus etiam ſuffragium tuliſſet. Sane id totum tantum evincit Pontifici Romano primam ſedem fuiſſe conceſſam inter Patriarchas ob Regiæ urbis, cujus erat antiſtes, dignitatem, ut ſuperius vidimus ex actis Concilii Conſtantinopolitani. An inde ſequitur quod Romanus Pontifex fuerit in eo Concilio

[a] *Euſeb. de Vita Conſtantini l. 3. c. 7.* [b] *In Vita Euſebii.*

Pra-

Præſes & Princeps, ut contendit Bellarminus? Equidem in omnibus comitiis ſive eccleſiaſticis ſive politicis, ordo quidam ſervari conſuevit, ut pro dignitate vel antiquitate unuſquiſque locum & dicendi tempus ſortiatur, nec propterea qui primus ſedet aut loquitur eo ipſo Præſes aut Princeps habetur. Imo ſane Præſidis eſſe conſuevit poſtremo loco ſuam ſententiam dicere poſt aliorum opiniones auditas & expenſas, altercationes cohibere & diſcordes in concordiam trahere. Quæ omnia profecto non alius in eo Concilio præſtitiſſe fertur apud probatiores hiſtoricos quam ipſe Imperator Conſtantinus. Ita enim de illa re ſcribit præfatus Euſebius: [a] "Imperator cuncta patientiſſime "auſcultans intento animo propoſitas quæſtiones ex"cipiebat, & quæ ab utraque parte dicebantur viciſſim "adſtruens atque adjuvans, pertinacius certantes pau"latim conciliavit. Alios vi rationum adductos in "ſuam ſententiam trahit; alios orat & flectit, eoſque "qui recte dixiſſent laudibus afficit, & univerſos ad "concordiam incitat: donec tandem eos concordes in "omnibus de quibus antea certabatur & conſentientes efficit. Idem tradunt Socrates l. 1. c. 8. & Zoſomenus lib. 1. c. 20.

V. Sed adeſt Cardinalis Baronius ſuppetias laturus Pontificio dogmati, quod ſcilicet nulla Conciliorum decreta firma aut rata ſint, donec per Romanum Pontificem confirmentur. Adeoque Concilium Nicænum petiiſſe canonum ſuorum confirmationem à Silveſtro Romano Pontifice, probat ex [b] literis in Creſconiana collectione ſubjectis (quas tamen ipſe corruptas affirmat) in quibus hæc reperiuntur verba. *Quidquid autem conſtituimus in Nicæno Concilio, precamur veſtro oris conſortio confirmetur: oret beatitudo tua pro univerſo Concilio.* In tanti privilegii argumentum, literas pro-

[a] *De Vita Conſtantini lib. 3. c. 13.* [b] *Baron. ad an. Chriſti 325.*

ducit quas ipſe corruptas eſſe fatetur. Unde conſtat hanc illarum partem, quæ ipſi favet, non ſimiliter corruptam extitiſſe? Sed quid ſi etiam ſanæ & legitimæ fuiſſent? Equidem nec ſic Baronii ſcopo deſerviſſent. Etenim ex iis tantum apparet *conſortium ſuffragii* fuiſſe poſtulatum, & piarum ad Deum precum auxilium, non decretoriam ſeu definitivam vocem.

VI. Pro eodem Papali jure ſtabiliendo idem Baronius hæc ex Socrate verba capitalibus literis [a] deſcribit. *Canon Eccleſiaſticus vetat ne decreta abſque ſententia Epiſcopi Romani Eccleſiis ſanciantur.* Fatetur Baronius canonem illum in nulla ſynodo reperiri ſancitum, ſed potius antiquo uſu, uti Apoſtolicam inſtitutionem, ad poſteros tranſiiſſe; nullum interim hujus rei argumentum exhibens. Quod Socrates [b] habet, eſt, Julium Epiſcopum Romanum ejuſmodi canonem objeciſſe Epiſcopis Antiochiæ congregatis, cum querimonia quod ipſum ad ſynodum non vocaſſent. Porro Henricus [c] Valeſius in ſuis ad Socratem annotationibus negat ullam ejus rei mentionem haberi vel in Julii Epiſtola per Socratem commemorata: tam lubricæ fidei eſt canon ille adeo per Baronium celebratus. Sed quid ſi illiuſmodi canon in omnibus etiam ſynodis ſtabilitus appareret? Quid inde ad dominatum hodiernum Pontificium in Concilia confirmandum? Equidem omnino credendum puto antiqui moris extitiſſe, ut Romani Pontificis, uti & aliorum Patriarcharum, ſententia poſtularetur pro decretis Eccleſiæ univerſæ ſanciendis. Ex quo tamen nullum firmius argumentum duci valet pro Romani Pontificis principatu ſupra Concilia, quam pro ſimili Antiocheni aut Alexandrini principatu duci poſſet; quorum ſcilicet ſuffragia non minus quam Romani Epiſcopi poſtulabantur pro decretis ſanciendis.

[a] *Idem ibidem. Socrat.* [b] *lib. 2. c. 17.* [c] *Valeſ. ad c. 17.*

Nec

Nec melioris frugi ſunt alia argumenta à Bellarmino, Baronio, & aliis adducta pro Pontificio dominatu, ſuper antiquiora Eccleſiæ Concilia: quæ proinde amplius diſcutere operæ pretium non duxi. Hæc indigitavi, ut appareat quali ſupellectile viri iſti magni vaſta ſua volumina conferciant: quam miſere infirmis oculis illudunt nominum & voluminum ſuorum amplitudine.

VII. Hæc impræſentiarum dicta ſufficiant, ut appareat quam longe abfuerint Romani Pontifices ab illa monarchica poteſtate in priſcam Eccleſiam catholicam, quam in hodiernam ambiunt: quàm inauditus prioribus & probioribus ſeculis ſermo fuerit, neminem poſſe obtinere vitam æternam, ni Pontifici illi obedientiam præſtet. Nunc ad argumenta ſolvenda pergo, quibus Pontificii illud ſuum nocentiſſimum dogma propagare ſtudent, eoque chriſtianæ gentis pacem perturbare non deſiſtunt.

CAP. XIV.

Proponitur & ſolvitur prima & præcipua adverſariorum objectio, ex conceptu Eccleſiæ catholicæ ſumta, quam penes ſe ſolos exiſtere contendunt.

I. OBjiciunt primo & præcipue Romaniſtæ unam eſſe fidem ſalvificam, ut eſt unus Deus; unamque Eccleſiam catholicam, extra quam nemo ſalvari queat. At ſola Eccleſia Romana eſt catholica, & ſalutari fide inſtructa: ergo extra Eccleſiam Romanam nemo ſalvari poteſt.

II. Hoc

II. Hoc eſt præcipuum vel potius unicum ipſorum argumentum, quod in varias formas varii effingunt, pompoſa ædificia ac ad ſpeciem fortia falſis ac ruinoſis fundamentis imponentes; quibus detectis apparebit clare quam miſere vulgares oculos illudunt inanibus terriculamentis.

III. Imprimis noto quam male hæc cohæreant cum doctrina illa apud ipſorum Theologos & Academias ſtabilita & certa, ſcilicet, Deum providiſſe omnibus hominibus etiam in ultima barbarie natis & enutritis, ad quas nulla Chriſti redemtoris notitia pervenerat, auxilia ſufficientia ad vitam æternam conſequendam, ſi iis recte uti velint; ut ſupra expoſitum eſt cap. 8. Qua igitur ratione veritatem hujus doctrinæ conſiſtere putant cum majori propoſitione argumenti propoſiti, eadem à fortiori comperiant reformatæ Eccleſiæ alumnos ſalutis æternæ capaces eſſe, ni totius rationis & conſequentiæ velint ſe immemores oſtendere.

IV. Noto ſecundo, quantus vocum abuſus committatur in argumenti illius propoſitione minori, qua ſclam Eccleſiam Romanam catholicam eſſe contendunt. Quod perinde eſt ac Eccleſiam particularem univerſalem dicere; adeoque vocabulorum ſenſum invertere, quod quoniam à pluribus nerveſe inculcatum eſt, & ab ipſis nunquam expeditum, inſinuaſſe hic ſufficiat.

V. Tertio noto non niſi maligne & per ſummam injuriam dignitatem catholicæ Eccleſiæ Anglicanæ denegari, in qua nimirum integra illa fides catholica ſervatur & colitur, quam Chriſtus Apoſtolis, & Apoſtoli populis tradiderunt, quæ tria illa celeberrima ſymbola Apoſtolorum, Nicænum, Athanaſii amplectitur, quæ quatuor œcumenica Concilia prima, Niceænum, Conſtantinopolitanum, Epheſinum, & Chalcedonenſe, veneratur & ſequitur, quæ denique omnia illa credit primis quatuor purioribus Eccleſiæ ſeculis exiſtimata ad

ſalutem

ſalutem creditu neceſſaria, ut perinde ſit Eccleſiæ Anglicanæ hæc omnia credenti nomen & dignitatem Catholicæ denegare, ac Alexandrinam & Conſtantinopolitanam ab eadem dignitate excludere (etiam tunc cum fides catholica in iis maxime florebat) ex eo quod Pontifici Romano uſurpatam nunc in omnes Eccleſias monarchicam poteſtatem non concedebant.

VI. Sed age videamus quibus argumentis conentur præcipui Romanæ Eccleſiæ doctores hanc dignitatem furripere Anglicanæ Eccleſiæ, quos inter principem locum vindicaverit Franciſcus Suarez, tum ob ingenii & doctrinæ famam qua floruit, tum quod ipſi præcipue Eccleſiam Anglicanam impugnandi provincia commiſſa eſt à Romano Pontifice. Ut fruſtra à quovis alio quidpiam expectaverimus animadverſione dignum, quod tantæ eruditionis vir non attigerit. Proinde ſi argumenta, quibus Eccleſiam noſtram impugnat ne catholica dicatur, oſtenderimus eandem propugnare, & catholicæ Eccleſiæ dignitatem ipſi vindicare, haud parum roboris & fidei partibus noſtris attuliſſe videbimur.

CAP. XV.

Expenditur primum & ſecundum fundamentum quo Franciſcus Suarez conatur oſtendere Eccleſiam Anglicanam non eſſe catholicam.

I. EA eſt veritatis vis & felix conditio ut tenebræ ipſi in lucem fiant, & vulnera in ſanitatem, ut victricis inſtar palmæ ſub pondere floreat & creſcat;

& clarior fiat quibus modis eam obſcurare contendunt adverſarii. Hoc Anglicanæ Eccleſiæ & fidei contigiſſe liquebit argumentis Franciſci Suarii longe clarioris ipſius antagoniſtæ. Is lib. 1. ſuæ defenſionis fidei adverſus Regem Angliæ c. 12. varia fundamenta ponit quibus Eccleſiæ Anglicanæ *catholicæ* nomen & dignitatem auferre conatur. Quæ omnia & ſingula eandem dignitatem certo conſequentiæ filo ipſi vindicant.

II. Imprimis enim ibi tanquam certum ſupponit "hæc "duo, Eccleſiam catholicam & fidem catholicam ſic "eſſe, conjuncta ut ſeperari nequeant, quia nec fides "catholica eſſe poteſt extra veram Eccleſiam, nec ca"tholica Eccleſia ſine vera fide: nam ubi Eccleſia ca"tholica fuerit, erit etiam catholica fides, & è contrario. At in Eccleſia Anglicana eſt fides catholica vel Suario authore, qui loco citato collectionem articulorum in ſymbolo Athanaſii factam, fidem catholicam nuncupat, relatis in eam rem his ipſius Athanaſii verbis: *hæc eſt catholica fides quam niſi fideliter firmiterque quiſque crediderit, ſalvus eſſe non poterit.* Porro Suarium non latuit in Eccleſia Anglicana haberi fidem contentam in illo Athanaſii ſymbolo: ergo ex hoc Suarii fundamento liquet Eccleſiam Anglicanam merito dici & vere eſſe catholicam.

III. Probatur ſecundo id ipſum ex alio fundamento per Suarium jacto n. 6. ejuſdem capitis: nempe illam eſſe veram Eccleſiam, & in ea eſſe veram & catholicam fidem, quæ ſecundum primævam hujus nominis impoſitionem catholica dicta eſt; conſtat autem hoc nomen ab Apoſtolis impoſitum fuiſſe Eccleſiæ ab ipſis fundatæ, non quidem ratione loci, Romæ, Antiochiæ, Epheſi, &c. ſed ratione fidei & doctrinæ ab ipſis traditæ, & in ſymbolo Apoſtolico contentæ, ut ibidem indicat Suarez. Ergo cum Anglicana habeat fidem ab Apoſtolis traditam, & à primitiva Eccleſia per

quatuor

quatuor priora & puriora ſecula, & per quatuor prima œcumenica Concilia traditam, nihil ipſi deeſt quo minus, juxta hoc fundamentum à Suario poſitum, vera & catholica Eccleſia dicatur.

CAP. XVI.

Oſtenditur tertium & quartum Suarii fundamentum Eccleſiæ Anglicanæ favere.

I. TErtio ibidem Suarez contendit Eccleſiam Romanam eſſe catholicam, quia ſemper profeſſa eſt fidem illius ſymboli in quo ipſa catholica nominatur. At tantundem præſtat, & ſemper præſtitit Anglicana Eccleſia (fruſtra enim in diſcrimen attulerit infallibilitatem quam prætendit Romana, ut poſt liquebit) ergo pari ratione catholica eſt dicenda. Idem n. 10. capitis præfati ſuadet Eccleſiam Romanam eſſe catholicam authoritate Tertulliani, qui in præſcriptionibus c. 30. *catholicam doctrinam eſſe dicit in Eccleſia Romanenſi*; quod perinde eſt, ait Suarez, ac ſi diceret eam eſſe catholicam. Quidni permittat nobis ex eodem fundamento tantundem inferre in favorem Eccleſiæ Anglicanæ; ſcilicet, catholicam eſſe, quia in ea traditur doctrina catholica, illa ſcilicet, quæ per Apoſtolos & primævam Eccleſiam tradita eſt, & catholica dicta.

II. Quarto oſtenditur Eccleſiam Anglicanam eſſe catholicam ex poſtremo fundamento, quo Suarez nititur hanc ipſi gloriam ſurripere; ſcilicet à ſigno quo patres antiqui utebantur ad cognoſcendam ſectam vel

congregationem non catholicam, & illam à catholicâ diſtinguendam. Quoties enim ſecta aliqua proprium nomen habet à magiſtro vel præceptore talis doctrinæ, & ſectatores ejus nomen ab eodem præceptore accipiunt, ſignum eſt nec doctrinam, nec perſonas, nec earum congregationem eſſe catholicam. Id pergit oſtendere variis ex Athanaſio, Chryſoſtomo, & aliis patribus, teſtimoniis adductis. Sed mirum eſt quomodo in hoc argumento ad ſuum ſcopum detorquendo, vir alioqui magnus & in ſcholaſtico pulvere bellator ſtrenus, ſub onere fatiſcat: cum enim Anglicanæ Eccleſiæ variarum ſectarum nomina impingere conaretur, ad ſingula deveniendo obicem invenit & agnoſcit. Calvinianam vocari tentabat, ſed fruſtra; etenim Calvino probatam non fuiſſe memorat, & Calvinum Jacobo Regi nequaquam fuiſſe per omnia, quæ docebat, probatum, ſatis manifeſtum eſt. Dein Henricianam aggreditur eam cognominare, quod ab Henrico octavo didicerit Regem caput Eccleſiæ dicere: ſed hic quoque in varia obſtacula impingit, præter quæ hoc ipſi ego objecerim, quod non ab Henrico, ſed altius originem duxerit hæc Anglicanæ Eccleſiæ praxis, quatenus non alium regibus ſuis dominatum in Eccleſiam tribuit, quam qualem populi Iſraelitici pii Reges, & chriſtiani Imperatores in primordiis Eccleſiæ, in ſuæ gentis Eccleſias exercebant, ut decretum cernitur in articulo trigeſimo ſeptimo, & in canone ſecundo Eccleſiæ Anglicanæ.

III. Præterea Tertulliani regula eſt: *Eccleſiæ in eadem fide conſpirantes non minus Apoſtolicæ deputantur pro conſanguinitate doctrinæ.* At Eccleſia Anglicana fidem, quam Apoſtoli & eorum diſcipuli per trecentos & amplius annos tradiderunt, integram tenet & amplectitur: ergo Catholica & Apoſtolica dicenda eſt. E contra vero Romana fides, ut hodie exponitur, per illos trecen-

trecentos annos, imo & 600. prorſus ignota erat, prout à variis oſtenſum eſt, noſque de præcipuis ipſorum dogmatibus oſtendemus: ergo.

CAP. XVII.

Tantundem evincitur ex quinto Suarii fundamento.

1. QUinto, Eccleſia vere catholica dicenda eſt (apud eundem Suarium c. 14. n. 4.) quæ habet rationem univerſalem credendi communem & publicam: quæ ratio (ut Theologi aiunt) eſt ipſa divina veritas, ſeu verbum Dei, quo ipſe teſtimonium præbet veritatis juxta illud Pauli 1. ad Theſ. 2. *Gratias agimus Deo, quia cum accepſtis à nobis verbum auditus Dei accepiſtis illud non ut verbum hominum, ſed ſicut eſt vere verbum Dei.* Et illud Joan. 15. *Si teſtimonium hominum accipitis, teſtimonium Dei majus eſt.* At Eccleſia Anglicana omnibus ſuis alumnis hanc univerſalem rationem credendi, quæ divinæ veritati nititur proponit. Sed neque caret regula generali ad dignoſcendum quænam ſint nobis per Dei verbum ad credendum propoſita, ad hoc enim habet & veneratur authoritatem Apoſtolicæ & primitivæ Eccleſiæ, ſaltem quoad neceſſaria ad ſalutem; quoad alia minus eſſentialia habet authoritatem præſulum & paſtorum Eccleſiæ ſuæ, quibus nimirum ceu Apoſtolorum ſucceſſoribus, eadem promiſſio facta eſt quæ Petro & aliis Apoſtolis. Neque ulla ratio apparet cur promiſſio facta ſucceſſoribus Petri in cathedra Romana, quæcunque illa eſt, non intelligatur facta ſucceſſoribus ipſius in cathedra Antiochena, & aliorum Apoſtolo-

ſtolorum ſucceſſoribus in aliis Eccleſiis. Nimirum ſic Deus ædificavit Eccleſiam ſupra Petrum, ut ſimul eam fundaverit ſupra fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum. Et fides atque doctrina Petri (quæ etiam fides & doctrina cæterorum Apoſtolorum eſt) petra illa eſt, ſupra quam Chriſtus ædificavit Eccleſiam ſuam; non autem perſona Petri, ut teſtatur Cirillus dialogo de Trinitate lib. 4. in Iſai. lib. 4.

II. Porro authoritas conceſſa Petro, eadem conceſſa cernitur omnibus aliis Apoſtolis, Math. 8. v. 18. *Amen dico vobis, quæcunque alligaveritis ſupra terram, erunt ligata & in cælis &c.* Et Joan. 20. 22. *Accipite ſpiritum ſanctum: quorum remiſeritis peccata, remittentur eis, &c.* Et Jo. 16. v. 3. *Cum autem venerit ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Alii etiam Apoſtoli vocantur *columnæ*, Gal. 2. v. 9. & *fundamenta*, Epheſ. 2. 20. Oravit quidem Chriſtus pro Petro ut fides ipſius non deficeret. Et etiam ſimiliter oravit pro aliis Apoſtolis ut Deus eos ſervaret à malo, & ut ſanctificaret eos in veritate, Jo. 17. v. 15, 17. Præcepit Chriſtus Petro ut paſceret oves ſuas; at nonne idem munus commiſſum eſt aliis Apoſtolis & eorum ſucceſſoribus, quos idem Chriſtus in Eccleſia ſua conſtituit *ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterii. Ut non circumferamur omni vento doctrinæ*, ut habetur ad Epheſ. 4. 11, 14. Denique illa ipſa egregia Petri confeſſio de divina filiatione Chriſti, quæ ipſius elogium, & ampla promiſſa obtinuit, non ita fuit peculiaris Petro, ut non eandem prius ediderit Nathanael, aiens: *tu es filius Dei, tu es Rex Iſrael.* Jo. 1. 49. Et Martha: *tu es Chriſtus filius Dei vivi.* Jo. 11. 27. Imo & centurio paganus tempore paſſionis Chriſti: *vere filius Dei erat ille*, Mat. 27. 54.

III. Præclare Gregorius Magnus lib. 6. Epiſt. 37. Eulogio Epiſcopo Alexandrino ſcripta, agnovit dignitatem

tem quæ Romanæ ſedi acceſſerat, ex eo quod in illa vitam finierit Petrus, acceſſiſſe pariter Antiochenæ, in qua per ſeptennium ſedit, & Alexandrinæ, cui diſcipulum ſuum Marcum præfecit. Et unionem omnium inter ſe commendans, concludit. *Quia in illo unum ſumus, qui ait, ut omnes unum ſint, ſicut & tu pater in me, & ego in te, ut & ipſi in nobis unum ſint.* Unitatem ſcilicet cum aliis Epiſcopis ambiebat Gregorius, non dominium in illos.

CAP. XVIII.

Expenditur argumentatio Suarii adverſus Anglicanæ Eccleſiæ fidem, ne dicatur Apoſtolica.

1. QUanquam, Suario ipſo teſte, nulla fides vere catholica eſt, quæ eadem non ſit Apoſtolica; tamen c. 17. ſuæ defenſionis fidei, peculiari molimine contendit oſtendere, fidem Eccleſiæ Anglicanæ non eſſe Apoſtolicam, ut ita evincat Regem Jacobum non meritò inſigniri titulo *defenſoris fidei catholicæ & Apoſtolicæ*. Pro qua re ſtatuit duo requiri ut fides aut doctrina ſit Apoſtolica. Primum, ut ab Apoſtolorum prædicatione, & eorum verbis aut ſcriptis aliquo modo duxerit originem, juxta illud Pauli ad Epeſ. 2. *Jam non eſtis hoſpites & advenæ, ſed eſtis cives ſanctorum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum.* Alterum, ut per legitimam traditionem & ſucceſſionem ad nos uſque pervenerit, ut docet inter alios patres Irenæus lib. 4. c. 43. *Eis qui in Eccleſia ſunt, presbyteris obaudire oportet, his qui ſucceſſionem habent ab Apoſtolis* &c. At Anglicana ſecta

cta, ait Suarez, neque est ab Apostolis; neque ab illorum doctrina, aut traditione legitime derivata est: ergo non est Apostolica.

II. In probatione minoris propositionis, difficultas subduit Suario, cum vidisset Jacobum Regem, & cum ipso universam Ecclesiam Anglicanam credere, admittere, & venerari scripturas canonicas, tria fidei symbola, & prima quatuor Concilia generalia, in quibus fontibus fides Apostolica sufficienter contineri videtur.

III. Ut huic difficultati occurrat Suarez, imprimis ait, vel potius supponit, illam fidei confessionem mutilam esse; (dimidiatam appellat) nimirum multò plures articulos putat esse fide divina credendos, quam qui in scripturis, symbolis, & Conciliis illis traduntur. Deinde *licet doctrina talium librorum de se sit Apostolica, vel potius pars ejus*, ait Suarez, *nihilominus ut à sectariis retinetur, vel non est Apostolica; vel non potest, ut talis, certo credi.* Nimirum doctrina resurrectionis Christi à mortuis, si à Romista tradatur, Apostolica est; non item, si à doctore Anglicanæ Ecclesiæ.

IV. Siste, lector, & pende Romanum supercilium hic magnifice elatum. Fama est, non pauca irrepsisse huic Suarii libro, quæ ab ipsius calamo, aut mente non emanaverant. Scilicet frigere visum est Italis, Hispanum Theologum, nisi elevatiores cothurnos in hoc scriptionis genere ab ipsis sumeret; & si ita est, credibile videtur, pronunciatum illud, nunc relatum, ex additamentis illis esse. Fateor namque dictum istud mihi redolere magis Romanæ aulæ fastum, quam Suarii ingenium.

V. An verò pro tanto dogmate comprobando rationem aliquam attulerit Suarez, seu quisquis illius author est? Imo affert, & illa hujusmodi est. Anglicanæ Ecclesiæ homines certi esse non possunt an libri, quos admittunt, sunt canonici; eademque ratio est de symbolis,

bolis & Conciliis; an ſint genuina & legitima: eademque incertitudine laborant circa ſenſum rectum illorum librorum.

VI. Sed audite argutuli, qui hæc obtruditis. Oculatiores ſunt hodie homines quam ut iis per has nænias fucum faciatis. Quæſtio præſens, non de certitudine reflexa eſt, ſed de veritate doctrinæ, quæ in præfatis fontibus continetur; num revera ſit Apoſtolica, id eſt num illa ipſa ſit quam Apoſtoli tradiderant. Deinde quoad rectum verborum ſenſum, quem vobis præ aliis conſtare jactatis, videamus quo fundamento? Occurrit dubium circa teſtimonia ſacræ Scripturæ pro divinitate Chriſti. v. g. An non ſatis certi reddimur circa rem illam, per decreta Concilii Nicæni? Ais ulterius dubia occurrere circa ſenſum verborum ipſius Concilii. Fateor. Quid proinde! Aliud Concilium erit neceſſarium ad aperiendum prioris ſenſum. Verum circa iſtius etiam poſterioris Concilii verba, non minus excitabuntur quæſtiones. Quid tum? Aliud ulterius Concilium erit convocandum pro his extricandis dubiis, & ſic in infinitum. Nimirum Concilium Tridentinum, v. g. priſcorum omnium ſeculorum & ſui ævi errores omnes diſpulit, dubia ſuſtulit, lucem affudit univerſæ catholicæ doctrinæ. Ita prædicatis. At ipſa luce clarius eſt, poſt Tridentini decreta, dubia & diſſidia inter vos manſiſſe. Teſtantur id abunde Dominicanorum cum Jeſuitis acerrimæ contentiones, & acerbiſſimæ diſſenſiones circa providentiam & prædeſtinationem divinam, circa auxilia gratiæ &c. Janſeniſtarum cum aliis cœtibus fera & immania bella, circa Chriſti redemtionem, circa mandatorum obſervantiam &c.

VII. At inquis tu, hujus mali medicinam habemus. Declaravit Innocentius decimus Pontifex Romanus, penes quam partem ex diſſidentibus, veritas catholica conſiſteret. Declarare quidem tentavit; ſed non adeo

res clara extitit, quin novas lites illa ſua definitione excitavit. Nimirum clamabant Jeſuitæ doctrinam Dominicanorum, circa auxilia divinæ gratiæ ipſis adverſam, eadem Pontificia cenſura fuiſſe perſtrictam. Reclamabant Dominicani; crepebant ſcholarum ſubſellia clamoribus, laſſabantur præla ſcriptis per utramque factionem editis, ut definitionem Pontificiam in ſuas partes unaquæque traheret, & adhuc res incerta manet.

VIII. Inſuper Janſeniſtæ contendebant (quicquid ſit de rectitudine cenſuræ Pontificiæ, quam ſcilicet infallibilem eſſe prorſus inficiantur) quinque propoſitiones damnatas, vel non extare omnino in ſcriptis Cornelii Janſenii, vel certe non in ſenſu juxta quem à Pontifice ſunt damnatæ. Hinc ortæ novæ altercationes, & fœda jurgia; quibus ſopiendis prodit demum anno 1656. Bulla Alexandri ſeptimi Pontificis Romani, in qua propoſitiones illas denuo damnat. Et præterea definit eas omnes in libris Janſenii extare, & quidem in ſenſu juxta quem damnatæ ſunt; quod equidem prorſus mirabile eſt. Unde namque Pontifici certo conſtaret de ſenſu Janſenii, mortui jam & inauditi circa rem hanc, cum ſub iiſdem verbis frequens ſit varios ſenſus à variis hominibus ali? Sed infallibilitas Pontificii judicii ad cordium quoque arcana penetraverit. Et quidni penetret; cum etiam ad inſcrutabilia Dei myſteria evolvenda pertingere geſtiat?

IX. Ad hæc animoſius obſtrepuere Janſeniſtæ, contendentes, extra Pontificis poteſtatem eſſe, de rebus quæ ſpectant ad *quid facti*, certum aliquid pronunciare: à ſeculis inauditum, ut infallibilitas ipſi, quoad res iſtiuſmodi, tribuatur. Proinde integrum eſſe cuivis bene de Janſenii libro ſentire, ceu orthodoxo & hæreſium exſorti, non obſtante illa Alexandri Pontificis definitione.

X. Con-

X. Contra insurrexerunt Jesuitæ, potestatem Pontificis, pro more, defensantes, & ubique extollentes. Thesibus publicis in suo Collegio Claromontano apud Parisienses habitis 12. die mensis Decembris anno 1661. hanc inter alias propugnarunt.

XI. *Christum nos ita caput Ecclesiæ agnoscimus, ut illius regimen, dum in cœlos abiit, primum Petro, tum deinde successoribus commiserit; & eandem, quam habebat ipse infallibilitatem, concesserit, quoties ex cathedra loquerentur. Datur ergo in Ecclesia Romana controversiarum fidei infallibilis judex, etiam extra Concilium generale, tum in quæstionibus juris, tum facti. Unde post Innocentii decimi & Alexandri septimi constitutiones, fide divina credi potest, librum, cui titulus Augustinus Jansenii, esse hæreticum, & quinque propositiones ex eo decerptas, esse Jansenii, & in sensu Jansenii damnatas.*

XII. Occlamarunt Jansenistæ, & alii per Gallias Theologi, hanc Jesuitarum doctrinam, quoad infallibilitatem Pontificis in rebus facti, hæreticam esse, & blasphemam: certe principibus & populis periculosam & exitialem fore, si stabiliatur, nemo non facile dispexerit. Si enim libuerit Pontifici principem aliquem ut hæreticum declarare, & damnare, quantumvis ille incorruptæ fidei sit, hæreticorum nihilominus pœnis & infamiis obnoxius erit. Licebit Pontifici, juxta canones suos, illum solio deturbare & regnum ipsius in quem voluerit ex amicis conferre. Tantundem poterit præstare in quemvis alium, adversus quem visum ipsi fuerit operæ pretium suam potentiam ostendere. Quid restat, nisi quod Pontifex causæ suæ patronos protegat, dogma illud Jesuiticum, de infallibilitate in materia facti, inter catholica, necessaria fide credenda, reponat; ita dominium ipsius in principes & populos, ac universum genus humanum, completum fuerit, & numeris omnibus absolutum. Nemini licebit

obmutire, ſi Pontifex ſtatuat quempiam eſſe hæreſis reum: id ipſi, & omnibus erit credendum, quantumvis certo ſciat ſe ab ejuſmodi hæreſi immunem eſſe.

XIII. Sed nec ſic res erit pacata, adhuc dubia & diſſidia vigebunt, & nunc vigent poſt tot Conciliaria & Pontificia decreta. Sane fruſtra forent illa omnia Pontificia fulmina adverſus Janſeniſtas, ad tumultus ſedandos, niſi ea ferro muniſſet magiſtratus civilis. Hæc dierum noſtrorum publica acta ideo fuſius expoſui, ut ex propinquo liceat intueri, quam vana ſit Romiſtarum jactantia de certitudine quam habent de rebus fidei, propter infallibilitatem ſui Pontificis in iis definiendis. Plane arbitror non aliam eſſe ſub cœlo Eccleſiam, quæ plura & acerbiora habeat de rebus ſacris diſſidia, quam Romana habet, cujus homines ſint magis incerti, dubii, & perplexi circa credenda & agenda. Qui ipſorum ſcripta & diſputationes in Theologia tum ſcholaſtica ſive ſpeculativa, tum practica ſive morali novit, hujus aſſerti veritatem facile agnoſcet.

XIV. Ex his apparet quam ſine fundamento Suarez dixerit, illa ipſa fidei myſteria, quæ apud Romanam Eccleſiam catholica, & Apoſtolica ſunt, apud Anglicanam non eſſe Apoſtolica, defectu certitudinis; & licet Apoſtolica ſint, tamen ab Anglis Apoſtolice non credi. Immerito etiam carpit pientiſſimum juxta & prudentiſſimum Jacobi Regis dictum, nimirum *ſe tria ſymbola in eo ſenſu interpretari, quem illis eſſe voluerunt Patres atque Concilia.* Ad quæ Suarez, unde, inquit, noverit Rex voluntatem patrum, & Conciliorum, cum illorum verba varios ſenſus ſuſtineant; nec ipſi certo conſtare poſſit an ſenſum ab ipſis volitum ſua interpretatione attigerit? At hæc cavillo ſimillima ſunt; nec enim ingenii tarditatem tribuerim Suario, ne mentem Regis ex ſerie ſcriptionis illius recte perceperit, ex qua tamen ſatis liquido apparet non id Regem aſ-

ſumſiſſe

ſumſiſſe, ut de voluntate Patrum & Conciliorum in ſymbolis explicandis, omnimoda certitudine, ipſi conſtet; ſed ſe omnino velle & ſincere conari, in eo quidem ſenſu ſymbola interpretari, quem illis eſſe voluerint Patres atque Concilia. Quod ſi forte in iis interpretandis erraverit (quod humanum eſt) paratum eſſe errorem deponere, ſimul ac ipſi error innotuerit. Quam animi præparationem, ſane catholicam & piam, luculentiſſimis verbis à Suario etiam laudatis n. 15. præfati capitis ſic teſtatur Rex. *Ego vero id ingenue ſpondeo, quoties religionis quam profiteor, ullum caput offendetur non antiquum, catholicum, & Apoſtolicum eſſe, ſed novitium & recens, (in rebus ſcilicet ſpectantibus ad fidem) me ſtatim ab eo diſceſſurum.*

XV. Veritat ſe quo voluerit Suarez, & ingenium torqueat, ſane non aliam demum certiorem aut prudentiorem doctrinas ſacras interpretandi viam inveniet, quam iſtam à Rege indicatam in duplici teſtimonio nunc relato. Quin & egregium rei iſtius documentum exhibuit ipſe Suarez Tomo ſuo 4. in 3. p. diſp. 48. de Indulgentiis agens. Cum difficultatem prorſus inſuperabilem inveniſſet in terminis aliquot illius artis explicandis ad congruum ſenſum, v. g. illis quibus Indulgentia ſcinditur in plenam, pleniorem, & pleniſſimam. Si quælibet indulgentia plena ſive plenaria univerſam pœnam temporalem peccatis debitam remittit, ut ſupponunt; quid amplius plenior, quid ulterius pleniſſima præſtiterit? Cum, inquam, ad hunc ſolvendum nodum conjecturas aliquas protuliſſet, & futiles eſſe ipſe agnoviſſet, tandem aperte fatetur ſe illorum ſenſum non capere, ſed tamen illi ſtandum eſſe ſenſui docet, quem ipſis ſubeſſe voluerunt ipſorum authores. De quibus tamen, uti nec de phraſium ſenſu, nullam ipſe certam rationem reddere valuiſſe fatetur. Et hæc eſt illa Romiſtarum etiam doctiſſimorum certiſſima cognitio de rebus ſuæ fidei, quæ illam præ noſtra Apoſtolicam ipſis reddit.

CAP.

CAP. XIX.

Diſcutitur Suarii argumentum adverſus doctrinam primatus Regii in Anglicana Eccleſia, ne ſit Apoſtolica.

I. POſtquam contendiſſet Suarius illa ipſa fidei dogmata quæ Anglicanæ Eccleſiæ cum Romana ſunt communia, prout ab Anglicana traduntur, Apoſtolica non eſſe, pergit à num. 12. præfati capitis 17. ad illa quæ ſunt Anglicanæ Eccleſiæ propria, & in quibus diſſidet à Romana. Inter quæ primo & præcipue impetit doctrinam illam, quâ profitetur Anglicana Eccleſia regem in ſuo regno eſſe ſupremum ſtatuum omnium moderatorem, cui omnes etiam Epiſcopi & presbyteri habeant obedire. Hoc nimirum præ aliis omnibus Romanam curiam peſſime habet, nec aliud ipſi gratius obſequium reddidiſſet Suarius, quam ſi hoc propugnaculum expugnâſſet. *Quærimus ergo* (inquit ipſe num. 14.) *Quis Apoſtolorum hoc docuerit, vel ſcriptum reliquerit in Eccleſia Chriſti, vel quomodo poſſit eſſe ab Apoſtolis derivatum dogma, quod ante Henricum octavum in Eccleſia Chriſti non eſt auditum.*

II. Si dicat aliquis inter articulos fide catholica credendos non reponi illum de primatu regis; objicit Suarez injuſtiſſime igitur cogi ſubditos à Rege ad agnoſcendam eam dignitatem ipſius. Sed perperam ſane id infert Suarez; nec enim puto crediderit ipſe eſſe articulum fidei catholicæ quod Rex Hiſpaniæ ſit item Aragoniæ & Navarræ rex. Ergone dixerit injuſtiſſime acturum Hiſpaniæ regem, ſi à ſubditis ſuis exigat juramentum fidelitatis, in quo agnoſcant ipſum eſſe regno-

regnorum illorum legitimum regem ac dominum? Non dixerit certiſſime. Quid igitur obſtat ne rex Angliæ præfatum juramentum à ſubditis ſuis exigat, licet ipſius primatus non foret inter fidei articulos reponendus, præſertim cum Rex Jacobus in illa ſua præfatione monitoria, ſat perſpecta Suario, diſerte teſtetur ſe diligenter caviſſe *ne quicquam jurejurando illo contineretur præter fidelitatis illius, civiliſque & temporalis obedientiæ profeſſionem, quam ipſa natura omnibus ſub regno naſcentibus præſcribit.*

III. Nunc ad quæſitum Suarii: quis Apoſtolorum hoc docuerit? Reſpondeo divum Paulum id aperte docuiſſe ad Rom 13. v. 1. in hæc verba: *omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit.* Ubi nomine poteſtatum ſublimiorum, eas quæ civiles ſive ſeculares ſunt intelligunt Auguſtinus & alii patres, quod etiam ipſe contextus non obſcure ſubindicat. Utrumque fatetur Salmeronus, diſp. 4. in Rom. 13. his verbis. *Patres veteres & præcipue Auguſtinus Epiſt. 54. Apoſtolum interpretantur de poteſtate ſeculari tantum loqui, quod & ipſe textus ſubindicat.*

IV. Porro hujuſmodi poteſtatibus ſubdi non tantum ſeculares, ſed etiam omnes cujuſlibet eccleſiaſtici ordinis homines docet Chryſoſtomus Homil. 23. in Rom. aiens, *omnibus iſta imperantur, & ſacerdotibus & Monachis, etiamſi Apoſtolus ſit, ſi Evangeliſta, ſi Propheta ſive quis tandem fuerit.* In eandem ſententiam loquitur Bernardus, Epiſt. 42. ad Henric. Archiepiſcopum Senonenſem. *Si omnis anima,* inquit, *& veſtra; quis vos excepit ab univerſalitate?*

V. Ad alterum Suarii quæſitum: *quomodo poſſit eſſe ab Apoſtolis derivatum dogma quod ante Henricum 8. in Eccleſia Chriſti non eſt auditum?* Reſp. vulgares Romiſtarum clamores ad pompam magis quam ad veritatem compoſitos imprudenteter aſſumi à Suario. Subit enim

enim viciſſim interrogare, quomodo potuiſſet ipſe ignorare, hanc principum poteſtatem in univerſos hominum ordines ſive ſeculares ſive eccleſiaſticos & agnitam & exercitam fuiſſe in Eccleſia Dei & Chriſti tam veteri quam Evangelica? Equidem Eccleſia Anglicana in 36. articulo ſuo, & canone ſeptimo palam profitetur non aliam ſe regibus ſuis poteſtatem tribuere in perſonas & res Eccleſiaſticas, non aliam à regibus expeti, quam qualem pii Iſraelitici populi reges, & Chriſtiani Imperatores & Principes exercuere in ſuas cujuſque provincias & Eccleſias

VI. Et ſane quiſquis Eccleſiarum acta ſub utraque lege recoluerit, inveniet parcius ſe immiſcuiſſe rebus eccleſiaſticis principes noſtros, quam fecerant illi antiquiores. Legatur liber quartus Regum c. 18, & 22. ibi viſuntur duo reges pientiſſimi, Ezechias & Joſias, per ſeipſos res & perſonas Eccleſiaſticas temperantes & reformantes juxta divinæ legis normam, quam populis explanabant: atque id gratum fuiſſe Deo, textus ſacer ſtudioſe commemorat. *Fecitque quod placitum erat coram Domino* c. 22. v. 2. Legantur etiam geſta Conſtantini Magni Imperatoris, Arcadii, Honorii, Theodoſii, Juſtiniani, & aliorum qui Eccleſiæ ornamento maxime conſuluerunt: invenientur per ſe, vel adminiſtros ſuos laici ordinis, graviſſimis conſultationibus de eccleſiaſticis præfuiſſe. Ut alia omittam, ſane in Concilio Nicæno œcumenico 1. Imperator Conſtantinus Magnus præſidem & moderatorem egit, ut c. 13. vidimus ex Euſebio, Socrate, & Sozomeno. In Concilio Chalcedonenſi œcumenico Imperator quoſdam nobiles viros deſignavit, qui ut judices Concilio intereſſent. In Epheſino Concilio Theodoſius & Valentinus Imperatores Comitem Candidianum præſidem ſtatuere. Et quidem mirum Auguſtino viſum eſt, quod aliquis dubitet hanc poteſtatem ineſſe Imperatori. *An forte,*

forte, inquit ipſe, *de religione fas non eſt dicat Imperator, vel quos miſerit Imperator.* Et alibi docet id ipſum præcipue ſpectare ad Imperatoris munus, aiens, *ad Imperatoris curam, de qua rationem Deo redditurus eſt, res iſta maxime pertinebat.*

VII. Non ignoravit, nec etiam diſſimulavit S. Edwardus Angliæ rex hanc poteſtatem ſibi adfuiſſe, cujus ſcilicet hæc fuere in eam rem verba: [a] *Rex qui vicarius ſummi regis, ad hoc conſtitutus eſt, ut regnum terrenum & populum Domini, & ſuper omnia ſanctam venceretur Eccleſiam ejus & regat, & ab injuriis defendat.* Similia referuntur de Ina, Canuto, & aliis maxime piis Angliæ regibus, quorum verba & leges de rebus Eccleſiaſticis latæ cernuntur apud Jorvalenſem c. 2. col. 761. c. 5. col. 830. Erravit ergo Suarex dicendo hanc regum in univerſos ſubditos ſuos etiam Eccleſiaſticos ſupremum poteſtatem, rem eſſe ante Henrici octavi tempora in Eccleſia Chriſti inauditam.

CAP. XX.

Retorquetur ſuperius argumentum Suarii adverſus doctrinam Romanæ Eccleſiæ ne ſit Apoſtolica, & obiter refelluntur aliquot Suarii calumniæ adverſus Eccleſiam Anglicanam,

I. UT doctrina alicujus Eccleſiæ ſit Apoſtolica, inquit Suarez, requiritur ut illa tota fuerit ab aliquo Apoſtolorum ſcripta vel tradita, nec enim ſufficiat partem illius ita fuiſſe traditam, cum id habeat

[a] *L. Edw. Confeſſ. c. 17. p. 142.*

enim viciſſim interrogare, quomodo potuiſſet ipſe ignorare, hanc principum poteſtatem in univerſos hominum ordines ſive ſeculares ſive eccleſiaſticos & agnitam & exercitam fuiſſe in Eccleſia Dei & Chriſti tam veteri quam Evangelica? Equidem Eccleſia Anglicana in 36. articulo ſuo, & canone ſeptimo palam profitetur non aliam ſe regibus ſuis poteſtatem tribuere in perſonas & res Eccleſiaſticas, non aliam à regibus expeti, quam qualem pii Iſraelitici populi reges, & Chriſtiani Imperatores & Principes exercuere in ſuas cujuſque provincias & Eccleſias

VI. Et ſane quiſquis Eccleſiarum acta ſub utraque lege recoluerit, inveniet parcius ſe immiſcuiſſe rebus eccleſiaſticis principes noſtros, quam fecerant illi antiquiores. Legatur liber quartus Regum c. 18, & 22. ibi viſuntur duo reges pientiſſimi, Ezechias & Joſias, per ſeipſos res & perſonas Eccleſiaſticas temperantes & reformantes juxta divinæ legis normam, quam populis explanabant: atque id gratum fuiſſe Deo, textus ſacer ſtudioſe commemorat. *Fecitque quod placitum erat coram Domino* c. 22. v. 2. Legantur etiam geſta Conſtantini Magni Imperatoris, Arcadii, Honorii, Theodoſii, Juſtiniani, & aliorum qui Eccleſiæ ornamento maxime conſuluerunt: invenientur per ſe, vel adminiſtros ſuos laici ordinis, graviſſimis conſultationibus de eccleſiaſticis præfuiſſe. Ut alia omittam, ſane in Concilio Nicæno œcumenico 1. Imperator Conſtantinus Magnus præſidem & moderatorem egit, ut c. 13. vidimus ex Euſebio, Socrate, & Sozomeno. In Concilio Chalcedonenſi œcumenico Imperator quoſdam nobiles viros deſignavit, qui ut judices Concilio intereſſent. In Epheſino Concilio Theodoſius & Valentinus Imperatores Comitem Candidianum præſidem ſtatuere. Et quidem mirum Auguſtino viſum eſt, quod aliquis dubitet hanc poteſtatem ineſſe Imperatori. *An forte,*

forte, inquit ipſe, *de religione fas non eſt dicat Imperator, vel quos miſerit Imperator.* Et alibi docet id ipſum præcipue ſpectare ad Imperatoris munus, aiens, *ad Imperatoris curam, de qua rationem Deo redditurus eſt, res iſta maxime pertinebat.*

VII. Non ignoravit, nec etiam diſſimulavit S. Edwardus Angliæ rex hanc poteſtatem ſibi adfuiſſe, cujus ſcilicet hæc fuere in eam rem verba: [a] *Rex qui vicarius ſummi regis, ad hoc conſtitutus eſt, ut regnum terrenum & populum Domini, & ſuper omnia ſanctam veneretur Eccleſiam ejus & regat, & ab injuriis defendat.* Similia referuntur de Ina, Canuto, & aliis maxime piis Angliæ regibus, quorum verba & leges de rebus Eccleſiaſticis latæ cernuntur apud Jorvalenſem c. 2. col. 761. c. 5. col. 830. Erravit ergo Suarex dicendo hanc regum in univerſos ſubditos ſuos etiam Eccleſiaſticos ſupremum poteſtatem, rem eſſe ante Henrici octavi tempora in Eccleſia Chriſti inauditam.

CAP. XX.

Retorquetur ſuperius argumentum Suarii adverſus doctrinam Romanæ Eccleſiæ ne ſit Apoſtolica, & obiter refelluntur aliquot Suarii calumniæ adverſus Eccleſiam Anglicanam,

I. UT doctrina alicujus Eccleſiæ ſit Apoſtolica, inquit Suarez, requiritur ut illa tota fuerit ab aliquo Apoſtolorum ſcripta vel tradita, nec enim ſufficiat partem illius ita fuiſſe traditam, cum id habeat

[a] *L. Edw. Confeſſ. c. 17. p. 142.*

quævis hæreticorum ſecta. At ſane compertum eſt hujuſmodi non eſſe doctrinam hodiernam Eccleſiæ Romanæ. Quis enim Apoſtolorum aliquando docuit imagines eſſe adorandas, homines vita defunctos eſſe invocandos. Ut interim omittam doctrinam Purgatorii, Indulgentiarum &c. Et quod mireris, ipſe Suarius c. 18. n. 2. diſerte fatetur res aliquas apud Eccleſiam Romanam nunc de fide credi, quas in confeſſo habetur, non eſſe ab Apoſtolis prædicatas, ut B. Virginem nunquam venialiter peccâſſe, libros Machabeorum eſſe canonicos, &c. Ergo doctrina Eccleſiæ Romanæ Apoſtolica non eſt juxta regulam à Suario ſuperius expoſitam.

II. Ut huic argumento occurrat Suarius, monet aliud eſſe credere aliquid repugnans doctrinis ab Apoſtolis traditis; aliud vero credere aliquid per modum additionis ad doctrinam prædicatam ab Apoſtolis, quod ab eis expreſſe declaratum non ſit, vel certe declaratum eſſe non conſtet. Per primum credulitatis modum fatetur evinci doctrinam eſſe non Apoſtolicam, ſed apoſtaticam, juxta illud Pauli ad Galat. 2. v. 18. *Si quæ deſtruxi, iterum reædifico, prævaricatorem me conſtituo.* Contendit autem nihil in Eccleſiæ Romanæ doctrina eſſe quod repugnet Apoſtolicæ. Cæterum non diffitetur novas doctrinas de fide credendas additas fuiſſe per ſuam Eccleſiam, data ad id poteſtate à Chriſto vicariis ſuis, & paſtoribus Eccleſiæ.

III. Veruntamen ut ab iſto conceſſo incipiam. Non apparet qualiter hæc credendorum additamenta cohæreant cum illo Apoſtoli anathemate ad Gal. 1. v. 8. bis indicto iis qui ad doctrinam Evangelicam quidpiam addiderit. *Sed licet nos*, inquit, *vel Angelus de cœlo evangelizet vobis præter quam quod evangelizavimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus & nunc iterum dico: ſi quis vobis evangelizaverit præter id quod accepiſtis, anathema*

thema ſit. An quod Paulo & Angelo de cœlo non licet, Pontifici Romano licebit?

IV. Scio dicturos ad hæc adverſarios, quæ ipſi addunt, virtute contineri in doctrina Evangelica & Apoſtolicâ. Id etiam inſinuavit Suarius ſupra n. 9. At ſane prius comperies quadraturam in circulo, & in nigrô album, quam adorationem imaginum & alia Romanæ doctrinæ capita in Evangelio, aut Apoſtolorum ſcriptis. Proinde huic effugio diffidens Suarius aggreditur probare hanc poteſtatem novos articulos condendi datam fuiſſe Pontifici. Quod quoniam ex diametro pugnat cum Apoſtoli Pauli definitione nunc relata, id indicâſſe inſtar maximæ confutationis ſit. Ut nunc omittam Romanæ innovationis plures articulos directe opponi Apoſtolicæ doctrinæ, quod alibi latius probavimus. Ex quibus omnibus liquet doctrinam illius Eccleſiæ non eſſe Apoſtolicam juxta regulam à Suario poſitam.

V. At contendit plura eſſe in fide Eccleſiæ Anglicanæ, quæ cum doctrina Apoſtolorum plane repugnant, qualia ſunt, inquit ille, negare traditiones non ſcriptas, reſiſtere dogmatibus univerſalis Eccleſiæ; negare omnem fidei regulam præter privatum ſpiritum; licitum eſt regi temporali non obedire ulli Epiſcopo, vel paſtori Eccleſiæ etiam ſupremo &c. At craſſæ calumniæ ſunt iſtæ quibus Suario impoſuerunt infidi nuncii. Non negat Anglicana Eccleſia traditiones non ſcriptas univerſim, ſed novitias tantum & fictitias Apoſtolis ignotas & Evangelio adverſas, univerſales & Apoſtolicas quæ ſemper & ubique apud omnes catholicos viguerunt (juxta Lirinenſis regulam) veneratur & recipit. Nulli unquam dogmati univerſalis Eccleſiæ reſtitit, ut contrarium gratis dicitur, gratis etiam negatur. Falſo etiam & abſque fundamento dicitur eam negare, ullam fidei regulam præter privatum

tum ſpiritum; ſcripturas divinas juxta traditionem Apoſtolicam & univerſalem Eccleſiæ receptas & explicatas in fidei regulam proponit, in iis omnia quæ ad fidem ſalvificam ſpectant, ſatis expreſſe contineri docet & probat. Quæ de majori aliqua certitudine ipſis adeſſe jactant Romiſtæ, vana eſſe ſuperiori capite 18. oſtendi.

VI. Falſo denique afferitur hic doceri licitum eſſe regi temporali non obedire ulli Epiſcopo aut paſtori Eccleſiæ. Omnino docentur reges filialem obedientiam paſtoribus Eccleſiæ ſuæ præſtare in iis quæ ad animæ ſalutem & profectum ſuum ſpiritualem ſpectant. Cæterum quod negent obedientiam eſſe præſtandam Epiſcopo Romano, ut univerſali Eccleſiæ catholicæ paſtori, non adverſari doctrinæ Apoſtolicæ à multis eſt evidenter oſtenſum & à nobis c. 12, & 13. ſatis probatum.

CAP. XXI.

Rejicitur in Romiſtas ſchiſmatis crimen quod Anglicanæ Eccleſiæ objiciunt,

I. IN deſcribenda qualitate & quantitate ſchiſmaticæ pravitatis multa congerit Suarez, congerunt & alii ſuæ congregationis ſcriptores verborum pompa inani ſane & imprudenti: inani quidem, quia neminem habent in ſchiſmate deteſtando adverſarium; imprudenti etiam, quia quicquid eſt ſceleris & probri in ſchiſmate, id totum in ipſorum caput recidet, quos nimirum longi nimis & infauſti ſchiſmatis iſtius, quo nunc ſcinditur Chriſti Eccleſia, veros & ſolos authores eſſe

esse constat, & mox ostendam. Libenter itaque audimus Chrysostomi dictum à Suario allatum c. 21. n. 8. quo schismatis flagitium confert cum peccato crucifigentium Christum: *Nihil, inquit, Deum ita irritat atque divisam esse Ecclesiam, etiamsi bona fecerimus innumerabilia, non minores, quam qui ejus corpus discindunt, pœnas dabimus, qui plenum ecclesiasticum conventum discindimus.* Quin scissionem istam Ecclesiæ, id est, corporis mystici Christi, maligniorem esse illâ, quâ naturale ipsius corpus Judæi conciderunt, innuit hæc addens: *nam illud quidem factum est ad lucrum orbis terrarum, etsi non eo animo, hoc autem nullam usquam habet utilitatem, sed ex eo damni est plurimum.* Et cum pluribus aliis turpitudinem schismaticæ pravitatis agitasset, in hæc verba concludit: *quoniam est morbus ambitionis, & amoris Imperii & gerendi magistratûs.*

II. Quantum hæc posteriora Chrysostomi verba faciant in rem Suarii, ipse viderit; nobis satis compertum est divisionem hodiernam Pontificis Romani à reformatis Ecclesiis *morbum esse ambitionis, & amoris imperii, & gerendi magistratûs*, ex parte Pontificis illius. Id vel ex hoc liquet quod inter alios plures refert Camdenus Paulum 4, & post obitum ipsius Pium quartum Pontificem Romanum obtulisse Reginæ Angliæ Elizabethæ confirmationem & approbationem liturgiæ, & cæteræ reformationis Ecclesiæ Anglicanæ, modo supremam ipsius potestatem agnosceret; quod quoniam Anglicana, simul & aliæ clarissimæ occidentis & orientis Ecclesiæ renuunt agnoscere, universas ipse à suâ communione discindit; atque ita schismatis labe infectus manet, qui nimirum juxta Chrysostomum est *morbus ambitionis & amoris imperii.*

III Sed age videamus qualiter definiat Suarez schisma. Est, inquit, *spontanea separatio ab Ecclesia catholica sub christiano nomine particularem congregationem extra Ecclesiæ*

cleſiæ communionem & obedientiam congregando: ita inquit, reliqui ipſorum Theologi & juriſperiti communiter. Sed perperam omnes. Nec enim ſchiſma eccleſiaſticum eſt ſeperatio ab Eccleſia catholica, ſed potius diviſio ipſius Eccleſiæ, vel ſeperatio membrorum Eccleſiæ ab invicem, interim tamen manentium in Eccleſia. Et ſane teſtimonia Scripturæ, quæ ad deſcribendum ſchiſmatis crimen affert Suarez, id manifeſte evincunt. Primum eſt illud Joan. 9. 16. ubi dicentibus quibuſdam: *non eſt hic homo à Deo.* Aliis vero: *quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna facere?* Additur, *& ſchiſma erat inter eos.* Inter quos vero? Sane inter Judæos ejuſdem ſynagogæ membra. Non igitur ſchiſma proprie eſt ſeperatio ab Eccleſia aliqua, ſed diviſio membrorum ejuſdem Eccleſiæ ab invicem.

IV. Id ipſum conſtat ex ſecundo ſacræ Scripturæ teſtimonio per Suarium adducto 1 ad Corinth. c. 1. v. 9. *fidelis Deus,* (inquit Apoſtolus) *per quem vocati eſtis in ſocietatem filii ejus Jeſu Chriſti Domini noſtri.* Et ſtatim ſubdit: *obſecro vos fratres per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut id ipſum dicatis omnes, & non ſint inter vos ſchiſmata.* At ſane Corinthii, ad quos erat Apoſtolo ſermo, membra erant ejuſdem Eccleſiæ chriſtianæ, inter quæ tamen ſchiſma fieri poſſe ſupponit, & fieri diſſuadet. Quod etiam clarius adhuc patet ex verbis ipſius c. 12. v. 25. monentis *ut non ſit ſchiſma in corpore, ſed id ipſum pro invicem ſolicita ſint membra.* His autem & veritati conſulimus & Romiſtarum commodo, ne dum eos vere ſchiſmaticos eſſe conſtiterit, è fidelium quoque albo, & extra Eccleſiæ catholicæ ſepta exterminari videantur.

V. Eſt itaque ſchiſma eccleſiaſticum, de quo nunc ſermo, ſeperatio voluntaria unius congregationis ab alia intra limites ejuſdem Eccleſiæ ſive univerſalis, ſive nationalis, aut provincionalis. Ly *voluntaria* conſtituit

ſtituit differentiam ſpecificam diviſionis ſchiſmaticæ ab aliis ſeperationibus, quæ cum voluntariæ ſive ſpontaneæ non ſint, turpitudinem ſchiſmatis non contrahunt. Dixi intra limites *ejuſdem Eccleſiæ, ſive univerſalis ſive particularis*, ut duo genera ſchiſmatum comprehendam, alterum Romanæ congregationis ab omnibus aliis totius Eccleſiæ catholicæ cœtibus, alterum minus late patens, unius congregationis ab alia, ſub eodem legitimo utriuſque Epiſcopo. Utrumque ſchiſmatis genus antiquitus dici conſuevit *Paraſynagoga*, ſive erectio altaris contra altare. Utrumque deteſtandum crimen & graviſſimis gehennæ pœnis luendum, quibus eſt diviſio ſpontanea.

VI. Porro diviſionem hodiernam Eccleſiæ Romanæ ab Anglicana & aliis, ſchiſma graviſſimum & nocentiſſimum eſſe, nemini dubium eſt. Plurimum ergo refert ſcire quinam fuerint diviſionis iſtius authores, & quibus fuerit, atque etiamnum eſt voluntaria. Et quidem quamvis Eccleſiæ Anglicanæ ſpeciatim, utpote mihi notioris, rem agere mihi propoſitum ſit, hoc tamen fidenter dixerim tam pro ipſâ, quam pro omnibus aliis Eccleſiis hodie diviſis à Romanâ, hanc iis omnibus dediſſe cauſas prorſus neceſſarias diviſionis ab ipſa, atq; in iiſdem exhibendis cauſis etiamnum perſtare, quatenus articulos & ritus edidit & cunctis ſecum communicantibus credendos atque ſequendos obtrudit, divinæ legi & Evangelicæ doctrinæ manifeſte oppoſitos; ut cumulatiſſime oſtenſum eſt à pluribus & à nobis alibi probatum eſt, ut id inſinuâſſe in præſenti ſufficiat. Equidem temerarii & male feriati ingenii opus fuit, cum Chriſtus Dominus præſentiam corporis ſui in pane euchariſtico declaraverit, modum autem præſentiæ non putaverit explicandum, in illum tamen ignotum modum per cæcas conjecturas rimari. Majoris autem inſaniæ res fuit illa factioſorum & captio-

ptioſorum è ſcholis hominum inſomnia, ceu articulos fidei divinæ omnibus obtrudere ; & ultimæ dementiæ facinus, hæreticos denunciare, & à fidelium communione eliminare qnotquot præpoſtero dogmati fidem non dederint, & divinitatis cultum pani non tribuerint: tantundem proportionate dicendum de cultu imaginum & aliis Romanæ Eccleſiæ recentioribus articulis. Non igitur voluntaria fuit Eccleſiis reformatis ſeperatio ſua ab Eccleſia Romana, ſed omnino neceſſaria; ſane non minus quam neceſſarium omnibus eſt obedire Deo magis quam hominibus. Ergo Eccleſia Romana hanc neceſſitatem inducens ſola ſchiſmatica eſt; quæ nimirum ſola cauſa, eaque prorſus voluntaria hujus infauſtæ diviſionis extitit.

VII. Ut Eccleſiam Anglicanam ſchiſmaticam reddat Suarez, aciem præcipue intendit in factum Henrici octavi ſubſtrahentis ſe jugo Romani Pontificis. At antequam id feciſſet Henricus, ſerio conſuluit omnes regni ſui Academias & Eccleſias, num Romanus Epiſcopus majorem aliquam poteſtatem haberet ſibi datam in ſacris literis ſupra Eccleſiam Anglicanam, quam quivis alius externus Epiſcopus, puta, Toletanus aut Pariſienſis? Et reſponderunt omnes unanimiter non habere, idque poſt rem longo ſtudio perpenſam & publicis diſputationibus agitatam. Scriptum regis in eam rem & reſcriptum graviſſimum magnæ Oxonienſis Academiæ vidi in ejuſdem Academiæ archivis apud illuſtriſſimam Bodleianam bibliothecam. In eandem ſententiam reſcripſit Cantabrigienſis Academia, reſcripſere & alii omnes celebriores regni Eccleſiæ & ſcholæ. Longe leviori authoritatis pondere Romani Theologi pronunciarent doctrinam aliquam eſſe probabilem, & in praxi ſecuram. Nihil aliud itaque fecit in illo facinore Henricus quam jus ſuum regno ſuo reſtituere, & illud vindicare à tyrannide Pontificis

tificis Romani, quod [a] alibi fusius ostendimus. Non igitur majori jure dicitur eo nomine schismaticus, quam si obedientiam negaret Toletano præsuli potestatem ambienti supra Anglicanam Ecclesiam.

VIII. Porro Elizabetha Regina etsi conscia satis prævaricationum Ecclesiæ Romanæ, pacem tamen christianam cum illâ retinendam obtulit, legatione missa ad Paulum quartum Pontificem. At ille supercilio minime Apostolico legatum & legationem contumeliosè habuit. Pacem omnem respuit, nisi regina Angliæ regnum pariter & Ecclesiam ab ipsius nutu pendere fateretur, & in ipsius verba per pessimos quosque errores juraret, jurarent simul & subditi ejus omnes. Pacem sub conditione bellum indicente cum Deo renuit merito regina, renuunt & alii quotquot à communione illius Ecclesiæ recedunt. Nimirum illa neminem admittit nisi qui in Tridentinam universam fidem juret, adeoque ejuret magnam & præcipuam fidei christianæ catholicæ & Apostolicæ partem, quod nobis certissimum est, & ex alibi probatis nunc supponimus, ut inde liqueat quam longe absimus à spontaneâ divisione ab Ecclesia Romana, adeoque à crimine schismatis. Videat nunc Suarez, sed videant magis qui superstites sunt, & forte rem clarius norunt, quinam sint spontanei authores dissentionis hodiernæ, adeoque schismatici proprie dicendi. Videant quibus timenda sint illa Augustini verba per Suarium relata c. illo 22. n. 10. *Quisquis ab hac catholica Ecclesia fuerit separatus, quantumlibet laudabiliter se vivere existimat, hoc solo scelere quod à Christi veritate disjunctus sit, non habebit vitam, sed ira Dei manet super eum.*

[a] *Tract. de catholica relig. Anglicanæ Eccles. pte. 2. c. 17.*

CAP. XXII.

Retorquetur in Romanam Eccleſiam quod Anglicanæ objicit Suarez, nempe à ſchiſmate in hæreſin eſſe devolutam.

I. SAne mira eſt Romiſtarum intemperantia in fulminandis graviſſimis uibuſque cenſuris adverſus reformatas Eccleſias, quarum tamen ipſi ſoli capaces ſunt, etſi reformati doctores parciores ſint in iis ſponte jaculandis. Cæterum modeſtia non vetat quod jus neceſſariæ defenſionis poſtulat, nempe adverſariorum tela in ipſos retorquere, ut ſibi proſpiciendo, innocuos vexare deſinant.

II. Parum Suario viſum eſt Anglicanam Eccleſiam ſchiſmatis inſimulare, ni etiam in manifeſtam hæreſim & apoſtaticam doctrinam tranſiiſſe eam probaret, qui capitis 22. præfati ſui libri ſcopus eſt. Pro quo attingendo, ſtatuit ex patrum ſententiis ſchiſma diuturnum in hæreſim tranſire. Unde Aug. lib. 2. contra Creſconium c. 7. ait *hæreſim eſſe ſchiſma inveteratum.* Et ex Hieronymo, Epiſt. ad Tit. 3. docet ſchiſma in principio poſſe intelligi ex parte diverſum ab hæreſi, *cæterum nullum ſchiſma*, ait, *non ſibi aliquam confingit hæreſim, ut recte ab Eccleſia receſſiſſe videatur.*

III. Utrumque convenire Anglicanæ Eccleſiæ probat, primo ex eo quod ejus diviſio à Romana Eccleſia ſatis diuturna fuerit, nempe per 70. & amplius annos. Secundo quod doctrinam hæreticam induxerit ad perſeverandum in ea diviſione ſive ſchiſmate, ſcilicet Pontificem Romanum non eſſe totius Eccleſiæ catholicæ ſupremum caput, cui omnes Eccleſiæ & animæ chriſtianæ debeant obedientes eſſe.

VI.

IV. Ut appareat qaum falso fundamento nitatur hic Suarii discursus, moneo imprimis ex eo sequi quod Ecclesia Africana per centum & amplius annos schismatica fuerit pariter ac hæretica, quæ nimirum in Concilio Carthaginensi sexto ducentorum & septemdecem Episcoporum, ex quibus erat sanctus Augustinus, obedientiam & subjectionem omnem Romano Pontifici denegavit, nuncio misso ad Celestinum Papam uti officiales suos ad se amplius non mitteret: [a] *ne fumosum typhum seculi in Ecclesiam Christi videatur inducere.* In qua separatione à Romana Ecclesia constanter permanserunt temporibus Zozimi, Bonifacii primi, & Celestini primi, Romanorum Pontificum per centum & plures annos, ut ex variis historiis constat. Et quidem quicquid aliqui ex Romanis scriptoribus in utramque partem altercantur, quod talis separatio Africanæ Ecclesiæ à Romana acciderit, patet ex epistola Bonifacii 2. apud Nicolinum To. 2. Concil. p. 544. Porro liquet intra tempus illius separationis obiisse divum Augustinum, Fulgentium, Eugenium, omnesque illos Episcopos & Martyres, qui in Vandalica persecutione passi sunt. Si igitur quævis separatio à Romana Ecclesia, & subtractio obedientiæ erga Pontificem ejus, schismatica primum est, dein hæretica fuerit, si diu perseveret; separatio illa Africanæ Ecclesiæ à Romana per centum annos protracta schismatica & hæretica fuerit, adeoque venerandi patres, qui tempore illo obierunt, schismatis atque hæresis labe infecti fuerunt.

V. Quod si odio consequentis negetur antecedens, ut par est, dicaturque separationem illam absque schismate vel hæresi contigisse, videtur sane tantundem potiori ratione dicendum de separatione Anglicanæ Ecclesiæ à Romana. Non enim constat Africanos pa-

[a] *Epist. Concil. Afric. ad Papam Celestinum 1. apud Nicolin. Vol. 1. Concil. p. 844.*

tres aliam exhibuiſſe cauſam ſeparationis ſuæ, quam uſurpationem Romanorum Pontificum in admittendis appellationibus ab Eccleſia Africana, ut patet ex cauſa Apiarii tunc appellantis ad Romanam curiam. Cæterum Anglicana Eccleſia, præter tyrannidem Romanorum Pontificum, quæ jam altius longe intumuerat, alias plures, eaſque graviſſimas ſeparationis ſuæ cauſas profert, ſcilicet perniciosos errores in rebus fidei & morum à Romanis inductos, quos cunctis ſecum communicantibus obtrudit.

VI. Sed videamus qualiter hæreſim definiat Suarez, ut illius notam Anglicanæ Eccleſiæ impingat. Exprobraverat merito Rex Jacobus Romiſtis quod non aliter hæreſim definiant, quam *opinionem quamcunque in cauſis fidei deciſſioni Papali contrariam*. Quo poſito fruſtra quis curaverit ſe ab hæreſis notâ purgare, ſi quidpiam contra quodvis Papæ placitum pronunciaverit. Et quamvis plura miſceat Suarez de multiplici acceptione hæreſis, ſive in ornamentum ſive in effugium; tamen in præfatam ſuorum hominum potentiſſimam definitionem definit, ſic concludens: *propoſitio hæretica illa eſt, quæ contraria eſt Eccleſiæ definitioni.* Et ſtatim addit, nomine Eccleſiæ intelligi poſſe Papam. *Nam cum Pontifex definit*, inquit ipſe, *Eccleſia per caput ſuum loquitur*. Ite nunc & quærite æquum judicium adverſus Papam ubi reus ipſe judex conſtituitur.

VII. Sed poſtulat Suarez, ut quando hæc definitio hæreſis non placet, aliam ipſi aſſignemus. Ego vero libenter illam aſſignaverim quam ipſe ex Auguſtino adducit lib. de vera Religione c. 5, & 6. ubi hæreſim deſcribit *pravam doctrinam à regula veritatis averſam.* Et c. 7. *eſt*, inquit, *prava opinio à regula & communione Eccleſiæ catholicæ devians.* Sive malit illam aliam hæreſis definitionem, quam ex ipſo Suario, & aliis ſuæ partis doctoribus propoſui ſuperius c. 6. hujus tractatus,

ut

ut ſit error intellectûs liber & pertinax contra fidem, ineo qui fidem accepit. Omnes iſtæ definitiones eodem recidunt quoad rem ipſam præſenti diſputationi ſubjectam, ut hæreſis deſcribatur per oppoſitionem cum regula veritatis ſive fidei catholicæ. Tota controverſia eſt in deſignanda iſtiuſmodi regula fidei catholicæ. Nos ſcripturam canonicam juxta traditiones Apoſtolicas explicatam, locupletiſſimam fidei catholicæ regulam eſſe ducimus. His Suarez cum ſociis addit, & ſupereminere vult, Pontificis Romani placitum, ut ſit aliarum omnium regularum definitrix regula, ad cujus ſcilicet normam cæteræ ſint caſtigandæ; perpetuo & conſtanti Romiſtis omnibus diſputandi vitio, ut dogmata ſua adverſariis minime probata, ſed & falſiſſima, pro principiis firmis ſtatuant inter diſceptandum cum ipſis.

VIII. Faceſſat itaque à regulis fidei Pontificis Romani placitum, nec ad illud abigendum alia quæratur argumentatio, quam ipſa id obtrudentium immodica arrogantia, & rei abſurditas, cunctis non ſponte occæcatis dudum perſpecta. Illa demum dicatur & colatur fidei ſive doctrinæ catholicæ regula, quæ pro tali habita eſt ab Eccleſia quæ primum catholica eſt dicta, tempore ſcilicet Apoſtolorum, & aliis proxime ſequentibus. Æquitatem hujus dicti nullus non valde iniquus negaverit. At conſtat per illa priora tempora non aliam fuiſſe agnitam fidei regulam quam ſcripturam ſacram, adhibita quidem, ceu fideli teſte & interprete, traditione Apoſtolica: ergo eadem in præſenti dicenda eſt cumulata fidei catholicæ regula.

IX. Sane nimis frigeat oportet in zelo divini honoris, qui non exhorreſcat ad infandas Parafitorum Pontificis blaſphemias, illum æquiparando ipſi Deo optimo maximo. Quales putas habuerunt aures Tridentini patres, quibus Cornelius Muſſus Bipontinus Epiſcopus

in concione ad ipsos habita, ad initium synodi, sic loquutus est, Pontificem Romanum extollens: "quem, inquit, pro Deo habemus in his quæ Dei sunt: "quicquid ipse dixerit tanquam Deum audire debe- "mus. Crederem potius ei in his quæ fidei mysteria "tangunt, quam mille Augustinis, Hieronymis, Gre- "goriis, ne dicam Richardis, Scotis, Gulielmis; credo "enim & scio, quod summus Pontifex in his quæ fidei "sunt errare non potest, quoniam Ecclesiæ authoritas "determinandi quæ ad fidem spectant, in Pontifice resi- det. Quis ferat garrulos canonistas in gloss. c. *Cum inter* Extrav. Jo. 22. sic insanientes: "credere domi- "num Deum nostrum Papam conditorem dicti decre- "talis non potuisse sic statuere, sicut statuit, hæreticum est. Quid de Gratiano canonistarum Patriarchâ asse- rente *epistolas decretales Pontificum numerandas esse inter scripturas canonicas.* Quod vel ipse [a] Possevinus censoria virga perstrinxit. Amarum quidem & sub- crassum, sed verissimum est illud Polidori Virgilii de hominibus istis dictum: *Non secus isti jurisconsulti aliquo- ties detorquent sacras literas, qua volunt, ac sutores sor- didas solent dentibus pelles extendere.* Quidni vero scri- pturas ad Pontificis commodum pro libito distorqueant tutò, si non ad scripturarum oracula veniunt castiganda Pontificia decreta, sed ad Pontificis placitum tem- peranda sunt oracula divina?

X. Haud dubito quidem quin hæ voces asperæ visæ fuissent Suario; Papam Romanam esse Deum, ipsius decreta scripturis canonicis esse æqualia. Attamen ipse tantundem re ipsa asserit dum Papæ placitum fidei divinæ regulam statuit. Audivi quondam quod cum Suarez olim pro thesibus defensasset Deum connecti es- sentialiter cum possibilitate omnium creaturarum, at- que ex opposito disputans Gabriel Vazquez ipsius con-

[a] *Possev. in appar. verbo* Gratianus.

frater

frater, ſed acerrimus in ſcholis antagoniſta, exclamaſſet aiens: ergone dices connecti Deum eſſentialiter cum cauda ſimiæ ut poſſibili? Reſpondiſſe compoſito vultu Suarium: *referat id ipſum veſtra reverentia informam ſyllogiſticam, & fatebor.* Scilicet quod plano & communi ſermone fari erubeſcebat, per congruam argumenti formam honeſtandam eſſe credebat. Id ipſum in re præſenti agit, Deriſoriam vocat hæreſis definitionem à Jacobo Rege Romiſtis adſcriptam; & ſane deridiculam merito putaret, ut nimirum non alia ſit quam *opinio quæcunque in cauſis fidei definitioni Papali contraria.* Hanc ipſe erubeſcens, aliam ſubſtituit verbis quidem & forma paulo diverſam, ſed ſenſu omnino eandem, quatenus ultimam fidei regulam, & cæterarum regulatricem, ſtatuit Pontificis Romani definitionem, ut ſuperius vidimus.

XI. Hac itaque à diſputationibus ablegata corruptiſſima fidei regula, à Romiſtis invecta, & legitima ſtabilita, quam in divina Scriptura, juxta traditiones Apoſtolicas explicata ſitam eſſe ſuperius oſtendimus, fidenter laceſſimus Suarium & quemvis ex ſociis ipſius ut aliquid oſtendant in confeſſione Anglicanæ fidei authoritate publica ſtabilita, quæ præfatæ regulæ adverſetur. Carpunt quidem ipſi aliqua, ſed irrito conatu, ut in ſequentibus oſtendemus. Longe aliter apud ipſos ſe res habet. Manifeſtis & ineluctabilibus argumentis oſtendimus plura ipſorum novitia dogmata palam adverſari ſcripturæ ſacræ, ipſi divino decalogo, & Evangelicæ Chriſti doctrinæ, & praxi primitivæ Eccleſiæ. Qualia ſunt imaginum cultus, ſanctorum invocatio, dimidiata communio, tranſubſtantiatio Euchariſtica, & alia plura, ut alibi [a] late oſtendimus, & hic inſinuaſſe ſufficiat, ut appareat ſive hæreſis ſit *inveteratum ſchiſma, ſive prava doctrina à regula veritatis a-*

[a] *Tract. de ver. rel. cathol. Anglicanæ Eccleſ. 2. p.*

verſa

verſa, ut ex Auguſtino ſuperius allatum eſt, Romiſtas vere hæreticos eſſe, utpote quos eſſe ſchiſmatis iſtius dolendi, quo ſcinditur Eccleſia chriſtiana, unicos authores & conſervatores manifeſtum eſt, ut vidimus capite ſuperiori. Porro ſi hæreſis deſcribatur per oppoſitionem cum vera regula fidei divinæ, ipſos eſſe multiplicis hæreſis reos, præter alia nimis nota, vel ex hoc ſatis conſtat, quod recuſent dogmata ſua ad iſtius divinæ regulæ normam probari; conſcii ſcilicet ea huic regulæ conſona non eſſe.

CAP. XXIII.

Defenditur Anglicanæ Eccleſiæ doctrina circa Euchariſtiam adverſus molimina Suarii.

I. POſtquam tentaſſet Suarius Eccleſiam Anglicanam hæreticam reddere ex generalibus quibuſdam regulis, aggreditur id ipſum oſtendere per aliquot ejuſdem Eccleſiæ articulos diſcurrendo, imprimis autem & præcipue eam accuſat quod tranſubſtantiationem Euchariſticam neget. Scilicet hic lapis offenſionis eſt, in quem periculoſius & pervicacius impingunt Romiſtæ; hic etiam Lydius lapis ad quem cujuſque fidem probant, ut cenſeatur orthodoxa. Ab hujus fidei confeſſione conciones ad populum auſpicantur, illam pro ſalutatione vulgari in viis uſurpant, & ampliſſimis Indulgentiis excitantur ut eam frequentius edant verbo, aut ſcripto, aut figura calicis & hoſtiæ parietibus affixa, vel numiſmatibus quæ *medallas* vocant circumgeſtata. Hæc eſt illa doctrina quam ferro & flamma obtrudere conantur, mortalibus omnibus quam late

etiam proſeminare curarunt in Anglia noſtrorum avorum tempore, copioſa & etiamnum clamante Chriſtiani ſanguinis profuſione.

II. In hoc itaque tanti ponderis & tam aſſidui certaminis argumento, multum referre arbitror noſſe quid pro Romana doctrina ſcripſerit Franciſcus Suarez. Omnino enim credibile eſt quicquid ab authoritate, vel à ratione appoſite dici potuerit in patrocinium illius doctrinæ, id nec latuiſſe tam robuſti ingenii & adeo amplæ eruditionis virum, nec ipſum conticuiſſe quicquid crederet idoneum eſſe ad propoſitam theſim confirmandam, in tanta totius Eccleſiæ Romanæ fiducia de ipſius opera in hanc rem impenſa.

III. Merito ſane conqueritur Suarez in proœmio iſtius ſui operis, ad novum ſcribendi genus, & inſolitam ſibi palæſtram fuiſſe compulſum, concertationem polemicam inſtituendo cum Eccleſia Anglicana. Equidem facile conceſſerim ipſius panegyriſtis, palmam præripuiſſe Suarium aliis ſuæ partis ſcriptoribus in iſto certamine: cæterum ſibi defuiſſe, ſuæq; gloriæ per priora ſcholaſtica certamina partæ, plurimum derogaſſe in hoc opere, omnium recte ſentientium, & quod ſentiunt libere loquentium, eſt judicium. Nec enim profecto ullibi alias tam infeliciter decertavit, idque tum ignoratione rerum Anglicanæ Eccleſiæ, in cujus ſcriptoribus parum verſatum fuiſſe illum apparet; tum vitio iniquæ cauſæ, nulla artis aut ingenii vi prævaleſcere potentis adverſus divinam veritatem. Quod cum per alia libri ſui præfati membra ſatis manifeſte appareat, penſiculatius oſtendam in ſua diſſertatione circa grandem hanc de Euchariſtia controverſiam.

IV. Errat igitur Suarez primo, & ſane nimis craſſe, in ipſo diſputationis limine, inter aperiendum ipſius ſtatum, dum ait Regis Jacobi adeoque Anglicanæ Eccleſiæ fidem ſive doctrinam eſſe, *Chriſtum Dominum non eſſe*

vere & ſubſtantialiter præſentem ſub ſpeciebus ſacramentalibus Euchariſtiæ. Quam autem rei veritatis incertus, & cæca conjectura id dixerit, habes ex adjunctis ipſius verbis: *veriſimiliter credo hanc eſſe opinionem Regis, qui Calvini ſectam præcipua ex parte profiteri dicitur.* Ex quo patet nec Suario quidem, etſi doctiſſimo & præſtantiſſimo ipſorum defenſori, licuiſſe libros Proteſtantium legere: rumoribus tantum, iiſque infidiſſimis ducitur. Ex iis etiam nimis præpoſtere argumentatur. *Rex Calvini ſectam præcipua ex parte profitebatur, ergo cenſebat Chriſtum dominum non eſſe re vera & ſubſtantialiter præſentem ſub ſpeciebus ſacramentalibus Euchariſtiæ.* Eodem argumenti filo poſſet evincere Regem pro tranſubſtantiationis doctrina ſtetiſſe. *Profitebatur Rex Eccleſiæ Romanæ doctrinam præcipua ex parte,* (& vero ita eſt, nec enim iis furiis agitabatur ut in omnibus adverſari ſtatuiſſet illi Eccleſiæ per fas nefas) *ergo ſequebatur doctrinam tranſubſtantiationis.* Hujus conſequentiæ vitium in aperto eſt. Etſi namque doctrinam Eccleſiæ illius præcipua ex parte profitebatur, qua ſcilicet orthodoxa & vera eſt, non tamen ex omni, qua nempe à vero deviat. Eodem vitio laborare priorem illam Suarii conſequentiam manifeſtius eſt, quam ut probatione indigeat. Nec enim ſic juravit Rex, aut juravit Anglicana Eccleſia in verba Calvini, ut quicquid ipſe dixiſſet, in legem aut fidei doctrinam hic abiret, quod tamen requirebatur ut Suarii conſequentia legitima foret.

V. Præterea non tantum in conſequentia, ſed etiam in antecedenti erravit Suarez, Calvino imponens, quod realem Chriſti domini præſentiam in Sacramento Euchariſtiæ negaverit, idque ex falſis ſuorum hominum rumoribus, nullo Calvini ſcripto ad id comprobandum adducto. Cæterum plura exſtant quæ Calvinum ab eorum impoſturis liberent, & manifeſte probent eum omnino

omnino orthodoxe cum reliquis reformatæ Eccleſiæ doctoribus ſenſiſſe, & nihil circa Chriſti præſentiam in Euchariſtia negaſſe, niſi quod præpoſtere & abſque legitimo fundamento circa modum præſentiæ ſuperaddunt Romiſtæ. Accipe luculentiſſimum ipſiuſmet de ea re teſtimonium lib. 4. inſtitutionis c. 17. "Hoc ver-"bum nec mentiri, nec illudere nobis poteſt, & niſi quis "fallacem vocare Deum volet, inane ab ipſo ſymbolum "proponi numquam dicere audeat: itaque ſi per fra-"ctionem panis Dominus participationem corporis ſui "vere repræſentat, minime dubium eſſe debet, quin "vere præſtet, atque exhibeat. Quod ſi verum eſt "præberi nobis ſignum viſibile ad obſignandam invi-"ſibilis rei donationem, accepto corporis ſymbolo, non "minus corpus etiam ipſum nobis dari certo confi-"damus. Abſurditatibus omiſſis, quicquid ad expri-"mendam veram ſubſtantialemque corporis & ſangui-"nis Domini communicationem, quæ cum ſacræ cœ-"næ ſymbolis fidelibus exhibetur, facere poteſt, liben-"ter recipio, atque ita ut non imaginatione duntaxat, "aut mentis intelligentia percipere, ſed ut reipſa frui "in alimentum vitæ æternæ intelligantur.

VI. Et num 32. ejuſdem capitis pie pariter ac prudenter agnoſcit imbecillitatem ingenii ſui, ne modum præſentiæ valeat intelligere, ipſam tamen realem præſentiam ſtatuit ex verbis Domini indubitanter credere.

VII. Et in commentario ſuo in 1. ad Corinth. hæc habet: "audio quid verba Chriſti ſonent, neque enim "mortis tantum ac reſurrectionis ſuæ beneficium no-"bis offert Chriſtus, ſed corpus ipſum, in quo paſſus eſt "& reſurrexit. Concludo realiter (ut vulgò loquun-"tur) hoc eſt vere nobis in cœna dari Chriſti corpus, "ut ſit animis noſtris in cibum ſalutarem. Et tract. de cœna Domini. "Chriſtum nobis in cœna veram "propriamque corporis & ſanguinis ſui ſubſtantiam do-

"nare, ut pleno jure ipſum poſſideamus, & poſſidendo "in omnem bonorum ſuorum ſocietatem vocemur.

VIII. Porro quicquid dictum eſſe velint de Calvino, Anglicanam Eccleſiam firmiter credere realem Chriſti Domini præſentiam in ſacra Euchariſtia manifeſte conſtat, tum ex articulis in plena & legitima ſynodo editis anno 1562. & publicis regni legibus ſtabilitis c. 28, &. 29. tum in communi ejuſdem Eccleſiæ catechiſmo publica authoritate edito, in quo ad interrogationem de interna hujus ſacramenti parte reſpondetur: *quod ſit corpus & ſanguis Chriſti qua à fidelibus vere & reipſa in ſacra cœna Domini recipiuntur.* Et in Apologia Joannis Juelli Epiſcopi Sarisburienſis, pro eadem Eccleſia declaratur in *S. cœna credentibus vere exhiberi corpus & ſanguinem Domini &c.* Item Joannes Poinetus Wintonienſis Epiſcopus in ſuo dialectico, fidem & doctrinam Eccleſiæ Anglicanæ illuſtrans, ait, *Euchariſtiam non ſolum figuram eſſe corporis Domini, ſed etiam ipſam veritatem, naturam, atque ſubſtantiam in ſe comprehendere. Idcirco nec has voces naturæ & ſubſtantiæ fugiendas eſſe, veteres enim de hoc ſacramento differentes ita loquutos fuiſſe.*

IX. Idem tradiderunt ſubſequuti in eadem Wintonienſi ſede duo clariſſimi præſules T. Bilſonus in reſponſione ad Apologiam Cardinalis Alani lib. 4. &. L. Andreas in reſponſione ad Apologiam Card. Bellarmini c. 11. p. 11. cujus verba prolixius exſcribere libuit, ut appareat iniquiſſimis rerum noſtrarum cenſoribus, quanta pietate ac prudentia Anglicanæ Eccleſiæ doctores fidei myſteria tractent. Illa vero ita ſe habent. "Dixit Chriſtus, hoc eſt corpus meum, nobis autem vobiſcum de objecto convenit, de modo lis omnis eſt. "Fide firma tenemus, quod corpus Chriſti ſit, de modo quo fiat ut ſit, nullibi in Evangelio verbum eſt; "& quia verbum nullum, merito à fide procul ablegamus;

"mus; inter ſcita ſcholæ fortaſſe, inter fidei articu-
"los non ponimus. Quod dixiſſe olim fertur Duran-
"dus, neutiquam nobis diſplicet. (*Verbum audimus, motum ſentimus, modum neſcimus*) præſentiam
"credimus, nec minus quam vos, veram. De modo
"præſentiæ nihil temere definimus, addo; nec anxie
"inquirimus; non magis quam in Baptiſmo noſtro,
"quomodo nos abluit ſanguis Chriſti; non magis quam
"in Chriſti incarnatione, quomodo naturæ divinæ hu-
"mana uniatur. Inter myſteria ducimus, (& qui-
"dem ipſa Euchariſtia myſterium eſt) cujus quod re-
"liquum eſt, debet igne abſumi, id eſt, ut eleganter im-
"primis patres, fide adorari, non ratione diſcuti."

X. In eandem ſententiam ſcripſerunt Iſaac Caſaubonus in epiſtola nomine ſereniſſimi Regis Jacobi ſcripta ad Cardinalem Peronium; Jacobus Armachanus Archiepiſcopus in reſponſione ad Jeſuitam Hibernum c. de reali Præſentia; Guliel. Laudus Archiepiſcopus Cantuarienſis in reſponſione ad Fiſherum; Montacutius Epiſcopus Norwicenſis in Antidiatribis contra Bulingerum, & alii Eccleſiæ Anglicanæ doctores, quos refert & ſequitur Joan. Coſinus Epiſcopus Dunelmenſis, Eccleſiæ ſuæ doctrinam à Romiſtarum calumniis vindicans in ſua hiſtoria tranſubſtantiationis Papalis c. 2. cujus hoc eſt exordium. *De reali igitur (id eſt vera & non imaginaria) præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Euchariſtia, Proteſtantium Eccleſiæ nulla dubitant.* Et poſtquam Anglicanæ Eccleſiæ canones & catechiſmum ac doctorum pronunciata in hanc ſententiam retuliſſet, Germanicas, Helveticas, Polonicas, Gallicas & alias reformatas Eccleſias in eandem ſententiam publicis confeſſionibus Proteſtantes adducit.

XI. Auguſtana confeſſio à Principibus imperii Carolo 5. Imperatori oblata, profitetur quod, *non ſolum panis & vinum, ſed etiam ipſum corpus, & ipſe ſanguis*

Chriſti veſcentibus in cœna Domini vere exhibeantur. In alia editione idem his verbis traditur: *quod corpus & ſanguis Chriſti vere adſint & diſtribuantur veſcentibus in cœna Domini*: & ſecus docentes improbant. Saxonica confeſſio Auguſtanam confirmans & explicans ſic docet art. 15. " Sacramenta eſſe actiones divinitus in-
" ſtitutas, & quamvis tenendum eſt extra uſum inſti-
" tutum res ipſas non habere rationem ſacramenti, in
" uſu tamen inſtituto, vere & ſubſtantialiter in hac
" communione adeſſe Chriſtum, & vere exhiberi ſu-
" mentibus ejus corpus & ſanginem, Chriſtumque te-
" ſtari quod ſit in eis, ſicut & [a] Hilarius inquit. Hæc
" accepta faciunt ut & nos in Chriſto, & Chriſtus in
" nobis ſit.

XII. Gallicana confeſſio, quæ Pariſiis in ſynodo nationali edita, Carolo 9. Regi in colloquio Poſſiaceno exhibita fuit, ita fatur Art. 36. " Credimus in S. cœ-
" na Domini Deum nobis reipſa, id eſt, vere & effica-
" citer donare quicquid ibi ſacramentaliter figurat, ac
" proinde cum ſignis conjungimus veram poſſeſſionem
" ac fruitionem ejus rei quæ ibi nobis offertur. Aliarum Eccleſiarum confeſſiones, tum realem & ſubſtantialem Chriſti præſentiam in Euchariſtia aſſerentium, tum imaginariam, & pure ſymbolicam improbantium adducit Coſinus loco ſupra citato, ex iis omnibus ſic concludens. *Dicimus aperte & affirmamus omnes cum Bernardo, in Euchariſtia corpus Chriſti præſens adeſſe ſpirituali, adeoque vera & reali præſentia: negamus vero pariter omnes, cum eodem Bernardo, & univerſa antiquitate, carnalem corporis Chriſti in Euchariſtia tum præſentiam tum exhibitionem. Rem ipſam igitur lubentes amplectimur, à modo autem inquirendo, humiles & devoti abſtinemus.* Ex quibus omnibus liquet quam non fideliter Suarez & ſocii Eccleſiæ Anglicanæ fidem exponant.

[a] *Hilar. de Trinit. lib. 8.*

CAP.

CAP. XXIV.

Colligitur ex dictis capite ſuperiori, & ex praxi Anglicanæ Eccleſiæ circa ſanctiſſimæ Euchariſtiæ communionem, quam inique de ipſius fide, & reverentia in illam, ſcribant & loquantur Romanenſes.

I. COnſenſum reformatarum Eccleſiarum in agnoſcenda Chriſti domini reali & ſubſtantiali præſentia in ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento, realique & ſubſtantiali exhibitione corporis & ſanguinis ipſius digne accedentibus ad ſacramentum iſtud venerabile; in alimoniam ipſorum ſpiritualem ad vitam æternam, ideo latius expoſui, ut appareat quam inique & falſo Romanenſium myſtæ populos ſuos doceant, nullam apud Proteſtantes extare fidem præſentiæ realis Chriſti domini in Euchariſtiæ ſacramento, nullam devotionem aut reverentiam in eo ſumendo, voluptuariam tantum & materialem panis & vini manducationem exerceri, in meram ſcilicet Chriſti memoriam, & nudum ſymbolum paſſionis ipſius, abſque ulla reali corporis & ſanguinis dominici ſumptione.

II. Quantum ad fidem Proteſtantium hac in re, abunde liquet ex dictis capite ſuperiori quam mala fide illam exponant Romanenſes. Quod ad reverentiam circa ſacramenti illius uſum attinet, quæ fidei pignus eſt & proles, ex praxi Anglicanæ Eccleſiæ cuivis cernenti liquebit longe majorem in ea, quam in Romana, erga ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum reverentiam exerceri, ſive præparationis, ſive exhibitionis ritum

tum & ordinem inſpicias. Et quidem quoad præparationem, non ſingulis diebus, nec cuilibet pro libito accedenti exhiberur ſanctiſſimum iſtud ſacramentum. Status dies præſcribitur pro eo celebrando ac diſtribuendo, & die feſto præcedenti, monetur populus publice per parochum, de adveniente die ſacræ communioni deſtinato: gravi & devota homilia, ad id compoſita, invitantur ad divini illius & ſalutaris convivii perceptionem; & pariter docentur quantum inde emolumentum accepturi ſint digne accedentes, cùm vera & reali corporis & ſanguinis Chriſti perceptione in Chriſto maneant & Chriſtum in ſe manentem habeant: è contra, qui indigne acceſſerit, graviſſimum Dei judicium & multiplex ſupplicium adverſum ſe provocare. Proinde unuſquiſque ſeipſum probet juxta Apoſtoli monitum, id eſt, ſerio conſcientiæ latebras exploret ad præceptorum Dei trutinam, & quicquid invenerit adverſus illa per ſe patratum cogitatione, verbo, aut opere, id dolenter lugeat, & coram Deo fateatur, firmiter ſtatuens ab ejuſmodi criminibus in poſterum abſtinere. Quod ſi quid gravius animum ipſius pulſat, ad parochum vel alium prudentem & doctum ſacerdotem accedat, qui directionem & conſolationem, ac abſolutionis beneficium ipſi impendat, poſtquam animæ ægritudinem ipſi aperuerit.

III. Monentur præterea, ut quotquot ad ſacram communionem ſunt acceſſuri, parochum de ſuo deſiderio prævie certiorem faciant, tum ut pro numero communicantium ſacramentalia elementa paret, tum præcipue ut noſcat quales demum homines ad tanti ſacramenti perceptionem ſit admiſſurus. Si quis per publica peccata fidelibus ſcandalo eſt, à ſacra menſa arceatur, donec pœnitentiæ publicum itidem teſtimonium edat. Si qui inimicitias exercent, in concordiam alliciantur, & qui eam reſpuerit, ſimiliter arceatur.

Acce-

Accedente illa liturgiæ parte quæ ad Euchariſtiæ celebrationem ſpectat, recedant qui communicaturi non ſunt, ne ſint communicantibus impedimento, more apud priſcam Eccleſiam uſitato, etſi apud Romanam hodiernam neglecto.

IV. Porro quanta cum reverentia & dignitate ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum adminiſtretur per Anglicani Imperii Eccleſias, libet oſtendere, deſcripto ordine communionis, quem vidi in Eccleſia Dublinenſi ſanctiſſimæ Trinitati dicata die Paſchatis reſurrectionis Dominicæ proximo poſt meum ad Eccleſiam iſtam acceſſum. Sacræ Euchariſtiæ conſecrandæ ritus ad altare perſolvit illuſtriſſimus & R^mus. D^nus. Archiepiſcopus Dublinenſis, regni Hyberniæ ſummus Cancellarius, Eccleſiæ illius Antiſtes, inſigni gravitate & decore. Eandem conſecratam ipſe imprimis reverenter ſumpſit, dein ſumendum porrexit miniſtris, qui ſecum ad altare aſſiſtebant, poſt Pro-regi, proceribus, ſenatui regio, & populo ingenti numero & pari pietate ad ſacram illam eſcam accedentibus, & in genua reverenter provolutis. Socios autem ad magnum illud ſacramentum adminiſtrandum habuit ſane ipſum illuſtriſſimum ac R^mum. D^num. Archiepiſcopum Armachanum, totius Hyberniæ primatem, admodum R^dum. D^num. Epiſcopum Midenſem; adhibitis ad calicem ſacrum cum Præſulibus porrigendum tribus venerandis ſacerdotibus, ejuſdem Eccleſiæ Dignitariis. Ac ne tumultu & motibus interturbaretur pia communicantium meditatio tanti myſterii, pergebant illuſtriſſimi Præſules per ſedes, in quas erat decenter populus diſtributus, ſacram communionem ſingulis porrigentes, brevi commonitione adhibita circa dignam ſumptionem, cum largiorem homiliam ante altare pro more legiſſet Archiepiſchopus ex liturgiæ libro, qua omnes ſerio monebantur, ut diligenter ſemet ipſos probent, & ſic de

pane illo edant & de calce bibant, tremenda comminatione facta divinæ vindictæ adversus indigne sumentes, & illustri promissione data iis qui fide vera & seria peccatorum pœnitentia accederent, de ineffabili unione cum Christo, per spiritualem, veram tamen & realem sumptionem, corporis & sanginis ipsius in illo venerabili sacramento.

VI. Tantam magnorum Præsulum demissionem, tam eximiam Principum & populi reverentiam in sacra Eucharistia administranda & recipienda, nusquam ego vidi apud Romanenses, qui tamen se unos sacramenti istius cultores jactant. Porro hæc quæ narravi, & trita nimis ac vulgo nota videbuntur fratribus nostris reformatæ Ecclesiæ: nova omnino & forte incredibilia apparebunt Romanæ congregationis alumnis, quorum scilicet auribus perpetuo suggeritur per suos instructores, nullam apud Protestantes existere fidem præsentiæ Crhisti realis in Eucharistiæ sacramento, nullam devotionem aut reverentiam in eo sumendo.

VII. At vero quid est quod severissimi isti censores desiderant in fide Protestantium hactenus explicatâ, eorumque cultu circa Eucharistiæ sacramentum? Nimirum quod Romistarum nova commenta Ecclesiæ catholicæ per mille & plures annos incognita, quoad modum & mensuram existentiæ Christi, quoad inceptionem, desitionem, & permanentiam ipsius sub speciebus sacramentalibus, inter articulos fide divina credendos non recipiant: quod panem Eucharisticum asservatum, sursum elevatum, aut per vicos & plateas circumgestatum cultu divino non prosequantur. At quanta sit fidei istius Romanensium, & cultus profusioris vanitas, atque perversitas, per subsequentia duo capita demonstrabitur.

CAP

CAP. XXV.

Oſtenditur quam inſanum ſit ac perniciosum per inanes quæſtiunculas curioſius rimari in modum præſentiæ Chriſti in Euchariſtiæ ſacramento, comparatione hæreſis Arianæ, quæ à conſimili curioſitate ortum habuit & progreſſum ad ingentem Eccleſiæ & Reip. chriſtianæ calamitatem & ſtragem.

I. EQuidem piarum & vere credentium mentium vox fuit illa per Durandum prolata, & à Doctoribus Anglicanæ Eccleſiæ libenter recepta. *Verbum audimus, motum ſentimus, modum neſcimus.* Repeto doctiſſimi Wintonienſis Antiſtitis [a] Andreæ verba, Bellarminum alloquentis loco ſuperius indicato: *præſentiam credimus*, inquit, *nec minus quam vos, veram; de modo præſentiæ nihil temere definimus; addo, nec anxie inquirimus.* Recte ſane, atque omnino ad clariſſimorum primitivæ Eccleſiæ patrum mentem & praxim, quibus nimirum Judaicæ improbitatis, potius quam Chriſtianæ pietatis rem eſſe, viſum eſt, in modum hujus magni myſterii curioſius inquirere. Ita expreſſe Cyrillus Alexandrinus, qui cum multis oſtenderet, virtutem vivificam quæ propria eſt divini ſpiritûs, communicari corpori & carni Chriſti; modum quo communicetur dicit eſſe omnino inexplicabilem, & ſola fide credendum. [b] *Nam propter ſeipſum*, inquit, *ſpiritus vivificat; ad cujus virtutem per conjunctionem caro con-*

[a] *Cap. 23.* [b] *Cyril. in Joan. lib. 4. c. 24.*

ſcendit: quomodo autem id fiat, nec mente intelligere, nec lingua dicere poſſumus, ſed ſilentio atque firma fide id ſuſcipimus. Curioſius autem indagantes, quomodo vis iſta mirifica nos vivificandi per ſacramentum corporis Dominici exeratur, ſimiles eſſe dicit Judæis, qui increduli dicebant, [a] *Quomodo hic poteſt nobis carnem ſuam dare ad manducandum?* Quæ verba [b] ipſe explicans, hæc addit, *firmam fidem myſteriis adhibentes nunquam in tam ſublimibus rebus illud* quomodo *aut cogitemus, aut proferamus.*

II. Ita etiam docebant & credebant reliqui patres per mille & plures annos, donec demum homines vaniſſimi tempus, quod inſumere debuiſſent in mirifico illo divini ſpiritûs motu implorando, quem piæ animæ inter ſumendum hoc divinum ſacramentum ſentiunt, prodigere maluerunt in deliris ſuis ingeniolis oſtentandis, per inſulſas & pernicioſas quæſtiunculas circa modum præſentiæ Chriſti ſub pane Euchariſtico. Nimirum impingentes in hæc Chriſti verba. [c] *Hoc eſt corpus meum*, ſuper panem illum prolata, ne adverſus Ariſtotelis Categorias peccarent, terminos diſparatos in unum coagulando, ſcilicet corpus Chriſti de triticeo pane enunciando, ſtatuerunt vi illorum verborum panem protinus deſinere in rebus eſſe, atque loco ipſius ſubſtitui verum & materiale Chriſti corpus, illud ipſum quod à virgine Mariâ natum eſt, & nunc in cœlis regnat. Cum tamen ſi Chriſti ſtylum obſervaſſent æque ac Ariſtotelicum, comperiſſent familiare apud redemptorem eſſe, ex diſſitis natura, alterum de alio enunciare, ratione ſimilitudinis aut efficaciæ. Ita de ſeipſo dixit eſſe vitem: & in cruce pendens matri dixit Joannem eſſe jam ipſius filium, & ipſam eſſe Joannis matrem: ut alia plurima hujus generis omittam.

[a] *Jo. 6. 52.* [b] *Ibi. Cyril. c. 13.* [c] *Math. 26.*

III. Cæ-

III. Cæterum ut ex præfato nodo ſe extricarent argutuli illi, quot demum inextricabilibus nodis ſe implicuerunt? Inde diſputari cœptum eſt, aſt numquam ſatis explicatum. Primo quibus modis ſive mediis mirifica illa mutatio contingat? An per benedictionem elementorum ſacramentalium, an vero per prolationem verborum Chriſti: *hoc eſt enim corpus meum.* Secundo, quid per pronomen *hoc* in illis verbis denotetur? An hæc res, vel hæc ſubſtantia, vel hic panis, vel hoc corpus, vel hic cibus, vel hæc accidentia, vel quod ſub his ſpeciebus continetur, vel hoc individuum vagum &c. Tertio qualiter elementa panis & vini deſinant eſſe? An per corruptionem, vel annihilationem, vel converſionem &c. An materiâ ipſorum deſtructâ maneat forma? Vel an deſtructis materia ſimul ac forma, adhuc remanſerit ipſorum eſſentia? Aut an everſâ ſive converſâ eſſentiâ, manet illorum exiſtentia? Quarto num ſacramentalis corporis & ſanginis Chriſti exiſtentia dependeat à naturali eorundem exiſtentia? Quinto num divinitas Chriſti accidentia panis aſſumſit per novam unionem hypoſtaticam cum ipſis? Sexto quo actionis genere Chriſti corpus reddatur præſens ſub accidentibus illis, an per productionem, vel conſervationem, vel adductionem? Septimo an corpori redemtoris ſacramentali illa eadem flagra & tormenta infligerentur, quæ naturali ipſius corpori ſunt inflicta, ſi forte panis conſecratus per triduum paſſionis fuiſſet aſſervatus. Octavo quis demum Chriſti ſanguis ſub ſpeciebus ſacramentalibus adſit? An ille qui effuſus eſt, an qui remanſit in corpore, an vero uterque? Nono an tota hoſtia tranſubſtantietur, vel tantum illa pars quæ digne ſumentibus datur? Et an in partem, quæ indigne accedentibus porrigitur, redeat denuo materia panis.

IV. Decimo denique (ut alias innumeras quæſtiun-

culas omittam) an ratione unionis iſtius inter Chriſtum & accidentia Euchariſtica, ſequatur inter utrumque extremum communicatio idiomatum, ita ut quod Chriſti proprium, eſt, dici poſſit de illo accidentium aggregato ſeu viſibili objecto albo & rotundo, quod ſit omnipotens, immenſum, Deus, redemtor; & è converſo, an Chriſtus, accidentibus illis ſubſtans, dici debeat albus, rotundus, acidus, aut mucidus &c. pro conditione accidentium?

V. Hic plane ridiculus apparet [a] Bellarminus (pace tanti viri dictum eſto) leges veluti ex tripode condens pro admittendis & rejiciendis denominationibus huic ſuppoſito tribuendis ratione extremorum: quanto autem jure, & qua dictorum cohærentia, paucis accipe. Statuit itaque primo nomina ſubſtantiva quæ de Chriſto ſive ejus corpore dicuntur extra ſacramentum, dici etiam de ipſo ut eſt in ſacramento; adjectiva non item, niſi illa quæ nullum dicunt ordinem ad corpora circumſtantia; id vero propterea quod Chriſtus in ſacramento habeat modum exiſtendi non naturalem ſed ſacramentalem. Itaque dicetur, inquit, corpus Chriſti eſſe animatum, quantum, coloratum &c. & carnem eſſe corpoream, non ſpiritualem; at non dicetur eſſe tangibilem, viſibilem. Sed quomodo hoc cohæret cum eo quod paulo inferius ex Concilio Romano ſub Nicolao 2. refert, nempe compulſum eſſe Berengarium confiteri *Chriſti corpus ſenſualiter ſacerdotum manibus tangi & frangi?*

VI. Statuit ſecundo adverbia quæ dicunt modum exiſtendi corporalem non dici de Chriſto in Euchariſtia, licet dicantur de ipſo ut eſt in cœlo. Quare dicetur eſſe realiter ſubſtantialiter in Euchariſtia, non vero corporaliter, ſenſibiliter, mobiliter &c. Statuit tertio licet corpus Chriſti in Euchariſtia per ſe nec videa-

[a] *Belar. lib. 1. de Euchar. c. 2.*

tur

tur, tangatur, aut moveatur, at ratione accidentium tangi, moveri &c. Quid ergo reſtat niſi quod ratione accidentium eorundem dicatur ſurſum & deorſum verſari, in loculum aut arcam (ne dicam in locum immundum) mitti; eſſe album, rotundum, acidum, mucidum, per mures aut canes devorari, quod etiam Bellarmino abſurdum videtur, & eſt de ſe horrendum, tamen ex Bellarmini regulis inevitabili conſequentia fluens.

VII. Vide nunc, lector, in quam turpes anguſtias coegerit hos homines improba libido perſcrutandi inſcrutabilia Dei myſteria, quam innumeris nodis ſe implicuerint, nodum in ſcirpo quærentes, quam futiles, inſulſas, ridiculas & etiam blaſphemas quæſtiones excitaverint, quibus pacem Eccleſiæ perturbarunt, & ſanctiſſimam Chriſti religionem riſui & contemtui infidelium expoſuerunt. Quam recte divinus Eccleſiaſtes enunciavit; [a] *quod fecerit Deus hominem rectum, & ipſe ſe infinitis miſcuit quæſtionibus.* Rectam omnino & planam viam perveniendi ad vitam æternam oſtendit nobis Deus & redemtor noſter Chriſtus per ſacramentum corporis & ſanguinis ſui, plano & naturali cibo, pane ſcilicet & vino, ſumendum in ipſius commemorationem; cum certa promiſſione mirificæ unionis omnium id digne ſumentium, cum vero corpore & ſanguine ipſius, in alimoniam animarum ad vitam æternam. Cui redemtoris promiſſioni ſi firmam ac ſimplicem fidem adhibere maluiſſent homines, quam improba curioſitate quæſtiones excitare circa modum & arcana magni iſtius myſterii, non ita à finibus noſtris exulaſſet pax & charitas, nec ita facti fuiſſemus vicinis noſtris Judæis & paganis in ludibrium & fabulam.

VIII. Spirantem infauſtæ iſtius tragœdiæ imaginem

[a] *Eccleſ.* 7. 30.

mihi

mihi cernere videor in antiquiori illa tempeſtate per Arianam hæreſim commotâ, cujus ortum & progreſſum ſimillimum iſti noſtratum hodiernæ, ſine horrore & tremore recolere non poſſum, merito formidans ne ſimiles quoque habituri ſint exitus utrique motus. Simul ac Eccleſiæ Chriſtianæ licuit pace & tranquillitate frui, poſt plurimas perſecutionum procellas, devictis, Dei munere, hoſtibus ipſius per Imperatorem optimum Conſtantinum magnum, libuit Alexandrino clero, otio & copia diffluenti, per quæſtiones, de rebus humanum captum longe prætervolantibus, laſcivire, atque inde bellum inteſtinum excitare, multo funeſtius quam ullam fuerat ab externis hoſtibus illatum. Cum enim Alexandrinus Antiſtes de *Sacroſanctæ Trinitatis myſterio ambitioſius diſputans* (ut loquitur Socrates [a]) in verbi divini generationem (quam tamen inenarrabilem eſſe monuerat Iſaias [b]) inquireret, ex presbyteris qui aderant Arius, contentionis ſtudio, vel ut ſuam in Dialecticis peritiam oſtenderet, ſic inſurrexit: *Si pater genuit filium, exiſtendi initium habuit is qui genitus eſt: ex quo manifeſte liquet, fuiſſe aliquando tempus cum non eſſet filius, & neceſſario conficitur eundem ex nihilo ſubſiſtere* &c. Porro ex clero pariter & ex populo pars Ario, pars Epiſcopo adhæſit, & utraque pars, in alias ulterius partes ſubdiviſa, tot indies novas lites excitarunt, ut nulla dies, nulluſve locus rixis vacaret; in Eccleſiis clerici, in foro mechanici, in gynæceis mulierculæ de rebus ſublimiſſimis diſputabant, Epiſcopi Epiſcopos, ſynodi ſynodos ſe mutuo deponebant, ac damnabant. *Porro rerum quæ gerebantur ſpectaculum* (inquit [c] Euſebius Pamphili) *eo uſque proceſſit indignitatis, ut in mediis infidelium Theatris,*

[a] *Socrat. lib.* 1. *hiſtor. c.* 5. [b] *Iſai.* 38 Generationem ejus quis enarrabit. [c] *Euſeb. de Vit. Conſtant. lib.* 2. *c.* 1.

divinæ

divinæ prædicationis venerabilis doctrina turpissimo risu ac ludibrio traduceretur. Denique hæc præsulum dissidia populos quoque & Principes in mutua jurgia & immania bella duxerunt, donec fractis utriusq; factionis viribus, de utraq; triumphum facile egerint Christiani nominis hostes, atq; ita prorsus corruerit florentissima illa Christianorum per orientem Ecclesia, imperiumq; potentissimum.

IX. Quis vere Christianus harum rerum commemoratione non ingemiscat, non etiam timeat simile exitum imminere nostratum, per occidentalem Ecclesiam insanis jurgiis circa apices speculationum, de modis & rationibus incomprehensibilium Dei mysteriorum? Quidni vero quispiam id jure timeat? An umquam visæ sunt quæstiones magis vanæ, ineptæ, & sacrilegæ, quam illæ nuper commemoratæ? An acerbiora odia, ferociora bella, immaniora homicidia, illis, quæ propter hasce disceptationes sunt exercita?

X. At vero quis tandem erit hujusmodi altercationum & ex iis nascentium calamitatum finis? Quid restat nisi ut quemadmodum in perscrutando modo quo Christus in hominum animas illabitur per Eucharistiæ sacramentum, præsentes tragœdias excitarunt, simili ausu improbus quispiam cacodialecticus aggrediatur indagare quomodo idem Christus per spiritum sanctum conceptus fuerit in utero virgineæ matris? Atque in ea indagine, fœdum aliquem delirantis cerebri partum edat, qui tamen, prævalescente factione, in articulum fidei abeat, omnibus obtrudendum, per ignem & ferrum innumeraſque hominum lanienas, donec fractis demum Christianorum per mutuas cædes viribus, ipsaq; religione in chymæram evanescente, per tot dogmatum monstra indies succrescentia, Paganismus vel Atheismus dominatum orbis obtineat. Quod

Deus optimus maximus avertat, quanquam ex Pontificiis ſcriptoribus aliqui [a] non infimæ notæ hoc malum urbi Romanæ ex ſacris Evangeliſtæ Joannis vaticiniis ominentur.

CAP. XXVI.

Exponitur quam infirmis fundamentis nitatur tranſubſtantiationis doctrina.

I. UNiverſam tranſubſtantiationis doctrinam in duo capita colligit [b] Suarez; quorum unum eſt, ſub ſpecibus conſecratis, vere adeſſe ſubſtantiam corporis Chriſti; alterum, ſubſtantiam panis ſub iiſdem abeſſe. Placet Theologi iſtius perſpicuus diſſerendi ordo, præ illo [c] Bellarmini, qui tam ſuam quam adverſariorum doctrinam in tot partes ſecat, tot diſtinctionum & exceptionum meandris implicat, utriuſque partis doctores ſic inter ſe committit, ut ex ipſius ſcriptis ægre quis percipiat quid ipſe ſuique ſentiant, aut quid adverſarios ſentire velit. Ad Suarium redeo. Putat is utramq; partem præfatæ doctrinæ à Proteſtantibus negari. Quam autem ignoranter id dixerit quoad priorem partem, ſcilicet quoad veram & realem Chriſti præſentiam in ſacramento Euchariſtiæ oſtendimus cap. 24.

II. Nunc ad ſecundam ejuſdem doctrinæ partem, ſcilicet ſub ſpeciebus ſacramentalibus abeſſe ſubſtantiam earum, quæ tranſubſtantiationis anima eſt, & tot mirabilium ſequelarum cardo & radix. Scriptu-

[a] *Vide Alenſem in c. 17. Apoc. verſ. 2. & Cornel. à lapide in verſ. 2. ejuſdem capitis.* [b] *Suar. lib. 2. defenſ. fidei c. 1.* [c] *Bellar. lib.*

ræ

ræ diffidens, & convenientiam rationis, (quippe nimis ſibi adverſam) ne tangens quidem, rem ſuam ex ſolis patrum teſtimoniis conficere aggreditur Suarez. Sed prævidens hinc quoque parum roboris cauſæ ſuæ acceſſurum, ni ipſe ingenii ſui ſuppetias adjiciat, monet, quotquot ex patribus docent per conſecrationem panem mutari, converti, aut tranſire in corpus Chriſti, eoſdem ſentire panem communem poſt conſecrationem non manere; quod enim in aliud convertitur, in ſua quam antea habuit eſſentia non manet.

III. At huic monitioni, alteram ego objicio, & ſane potiori jure, ut mox apparebit, ſcilicet converſionem & mutationem, aliam eſſe eſſentialem ſive ſubſtantialem, aliam vero accidentalem. Sic aqua aliquando convertitur in aerem, aliquando de frigida in calidam. Prima quidem harum converſionum eſſentialis eſt, ſecunda accidentalis. Porro quoties patres dicunt panem converti in corpus Chriſti, ſermonem eſſe ipſis de converſione accidentali, per virtutem & efficaciam divinitus additam pani ſacramentali, ad Chriſti corpus in fidelium animas ſpiritualiter inducendum, oſtendam ex illis ipſis teſtimoniis quæ Suarez adducit, & inter omnia quæ adduci ſolent, maxime ipſis favere videntur.

IV. Imprimis itaq;[a] Juſtinum Martyrem refert ſic de Euchariſtia diſſerentem: *neque enim communem uſitatumq; panem, uſitatamque potionem capimus, ſed quemadmodum per Dei verbum homo factus eſt Jeſus Chriſtus ſervator noſter, & carnem & ſanguinem pro ſalute noſtra habuit; ſic etiam cibum, qui per preces ſermonis quem abeo accepimus, conſecratus eſt, & quo ſanguis carneſque noſtræ communione alantur, Jeſu Chriſti, ejus qui homo factus eſt, & carnem & ſanguinem eſſe accepimus.* His nulla expoſitione adhibita putabat Suarez confici panem deeſſe

[a] *Juſtin. Apolog. 2. pro Chriſtianis.*

in Euchariſtia. Sed quomodo quæſo? Fatemur non eſſe communem, uſitatumque panem, ut Juſtinus ait, ſed omnino ſingularem & divinum, ut ſupra expoſui; fatemur etiam panem illam fieri digne recipientibus carnem Chriſti, ſicut Dei filius factus eſt homo, & carnem induit pro ſalute noſtra; ut etiam loquitur Juſtinus. Quid porro inde? Sane quod ſicut filius Dei ſic factus eſt homo, ut quod ante fuerat non deſineret eſſe, ita panis Euchariſticus ſic factus eſt Chriſti caro (modo quidem ineffabili) ut panis interim pergat eſſe. Ita Juſtini verba nocent potius, quam favent tranſubſtantiationis doctrinæ.

V. Secundo adducit hæc [a] Irenæi verba: *Quemadmodum qui eſt à terra panis, percipiens invocationem Dei, jam non communis eſt, ſed Euchariſtia ex duabus rebus conſtans, terrenâ & cæleſti; ſic & corpora noſtra percipientia Euchariſtiam, jam non ſunt corruptibilia, ſpem reſurrectionis habentia.* Poſt illa verba, *terrenâ & cæleſti*, interſeruit Suarez, ex ſuopte ingenio, nec de ejus fundamento ſolicitus, hoc gloſſema: *id eſt ſpeciebus panis & corpore Chriſti.* Fatemur hic quoque panem Euchariſticam non eſſe communem; ſed unde conſtat non eſſe interim panem? Nimirum quia per Ly *terrena* intelliguntur accidentia panis; cur non & ſubſtantia panis, cum hæc quoque terrena ſit? Nullam ejus rei rationem reddit. Quod ergo gratis dicitur, gratis negatur. Interim hæreamus ſimilitudini per Irenæum poſitæ, inter panem conſecratum, & corpora noſtra per Euchariſtiæ perceptionem ſpem reſurrectionis habentia; ut quemadmodum corpora noſtra, poſt illam ſpem habitam, adhuc corruptibilia manent realiter & materialiter, ita panis Euchariſticus etſi mirifice elevatus ad unionem animæ cum Chriſto, adhuc panis in ſua natura ac ſubſtantia perſiſtat.

[a] *Irenæus lib. 4. cap. 34.*

VI.

VI. Tertio denique & præcipue urget [a] Cyrillum Hieroſolymitanum ita loquentem. "Panis Euchari-"ſticus poſt ſancti ſpiritûs invocationem non amplius "panis communis eſt, ſed eſt corpus Chriſti: *& alibi*, "ſicut poſt tranſmutationem aquæ in Cana Galilææ fa-"ctam, ſubſtantia aquæ non manſit, ita nec ſubſtantia "vini manet in calice, poſtquam in ſanguinem Chri-"ſti tranſmutatur. Contra fidem harum catheche-ſium multi multa objiciunt. Quibus omiſſis, reſpon-deo ex contextu apparere quis ſit authoris ſenſus, nem-pe poſt conſecrationem non manere panem nudum & communem, ut ante erat, (& ſic de ſanguine) ſed fieri typum corporis Dominici, efficacem quidem, quo ni-mirum vere & realiter nobis exhibetur Chriſti corpus. Patet hoc ex comparatione per Cyrillum facta inter Euchariſtiam & oleum Chriſmatis. [b] "Quemadmo-"dum, *inquit*, panis Euchariſtiæ poſt ſancti ſpiritus "invocationem, non amplius eſt panis communis, ſed eſt "corpus Chriſti, ſic & ſanctum hoc unguentum non "amplius eſt unguentum nudum, neque ſi quis ita appel-"lare malit, commune, poſtquam jam conſecratum; ſed "eſt charisma, quod Chriſti & ſpiritus ſancti, hoc eſt "divinitatis ejus præſentiam efficit. At ſane oleum poſt conſecrationem manet etiamnum oleum quoad ſubſtantiam, ergo ſimiliter dicendum de Pane. Porro ex patribus [c] Chryſoſtomus, [d] Theodoretus, & alii plures expreſſis verbis affirmant, poſt conſecrationem manere ſubſtantiam panis & vini, accidentalem autem mirificam virtutem induere in ſalutem animarum, & ea-rum unionem cum corpore & ſanguine Chriſti; omni-um autem clariſſime id docuit Gelaſius Papa, cujus verba ſic vexarunt [e] Baronium ut in effugium aſſeuerit per

[a] *Cyril. cathech. 3. myſtagogica. catheches. 4.* [b] *Catheches. 3.* [c] *Chryſoſt. Epiſt. ad Cæſar. contra hæreſ. An. Polinat.* [d] *Theodoret. dial. 3. c. 24.* [e] *Baron. ad An. Domin. 496. An. 5. Gelaſii Papæ.*

ſubſtantiam panis manentem, intellexiſſe Gelaſium, accidentia panis. Ita quando è re ipſius fuerit dicet per album intelligi nigrum, & gloſſemate adhibito quocumque quacumque ibunt.

VII. Alia patrum teſtimonia quæ pro tranſubſtantiationis doctrina afferunt Suarez & alii, & omnium prolixiſſime Bellarminus, facilem habent ex dictis nunc ſolutionem. Qui voluerit cuncta luculentiſſime diſcuſſa cernere adeat doctiſſimum Antiſtitem [a] Spalatenſem. Quod ſi Romam denuo vectus palinodiam cecinit, (ut alii aiunt, negantibus id aliis) non dubito quin ei acciderit, quod Berengario contigiſſe dixerat ipſe, nempe coactum non convictum ceciniſſe.

VIII. [b] Bellarminus aggreditur tranſubſtantiationem probare ex ſacra ſcriptura per illa redemptoris verba Math. 26. *Accipite & manducate: hoc eſt enim corpus meum.* Sed ipſe demum fatetur cum Scoto & aliis celeberrimis Theologis, nullum pro ea re firmum argumentum ex ſcripturis duci poſſe: *etiamſi*, inquit, *ſcriptura quam nos ſupra adduximus videatur nobis tam clara, ut poſſit cogere hominem non protervum, tamen an ita ſit, merito dubitari poſſit, cum homines doctiſſimi & acutiſſimi, quales imprimis Scotus fuit, contrarium ſentiant.* Equidem Scotus, poſt accurate diſcuſſas rationes pro doctrina illa adductas, aperte dicit invalidas eſſe, & ſe propter unam Innocentii Pontificis authoritatem illi conſentire. [c] *Teneo igitur iſtam opinionem*, inquit, *ibi poſitam ab Innocentio, quod ſubſtantia panis non maneat, ſed quod tranſubſtantietur in corpus Chriſti, non propter rationes prædictas, quæ non cogunt.* De eadem tranſubſtantiationis doctrina ſic fatur Ochamus. [d] *Eſt communis opinio quam teneo propter determinationem*

[a] *Spalatenſ. de Repub. Eccleſ. lib. 5. c. 6.* [b] *Bellar. lib. 3. de Euchar. c. 23. n.* ſecundo dixit. [c] *Scot. in 4. diſt. 10. q. 3.* [d] *Ocham quodlibet. 3. q. 3.*

Eccle-

Eccleſiæ, & non propter aliam rationem. Et de ſententia affirmante poſt conſecrationem manere ſubſtantiam panis & vini, ſic pronunciat; *tertia opinio eſſet multum rationabilis, niſi eſſet determinatio Eccleſiæ in contrarium.* Hujuſmodi coacta fidei confeſſio ſufficit Eccleſiæ Romanæ præſenti, at non ſuffeciſſet priſtinæ catholicæ. Neſtorius in Concilio Epheſino confeſſionem fidei ab ipſo poſtulatæ his verbis obtulit. [a] *Dicatur, ſi placeat, Maria Deipara, & ſimultas omnis conquieſcat.* Sed quoniam non apparuit ex animo id dixiſſe, rejectus eſt.

IX. At non ullibi infelicius diſputat [b] Bellarminus quam ubi ex convenientia rationis nititur ſuadere tranſubſtantiationem; id eſt, dogma omnium, quæ umquam prodierunt, rationi maxime adverſum. Una ex ipſius rationibus eſt, quia ſi una cum corpore Domini ſubſtantia panis ſub iiſdem accidentibus contineretur, periculum eſſet, ne ſimpliciores adorarent panem: illi enim non diſtinguunt, ſed ſimpliciter adorant quod ſub illis ſpeciebus continetur. Scilicet cum Lutheranis agit, qui credebant Chriſti corpus ſimul cum pane realiter & corporaliter coexiſtere ſub ſpeciebus conſecratis. At ſane idem incommodum ex ipſius ſententia ſequitur, idemque periculum, ne ſimpliciores accidentia adorent; ipſi enim non diſtinguunt, ſed ſimpliciter adorant quod oculis objicitur, id vero non aliud eſt, quam accidentia ſive ſpecies panis, quæ abs dubio res eſt creata, adeoque non ſine ſacrilegio adoranda.

X. Altera Bellarmini contra eoſdem ratio eſt ex rei indignitate, quod abſonum videatur, ut ſimul maneant cibus mentis, & cibus ventris; panis cœleſtis & panis terreſtris. At quicquid eſt roboris in hoc argumento id totum militat adverſus ipſius ſententiam. Sane ac-

[a] *Socrat. lib. 7. hiſtor. c. 7.* [b] *Bellar. lib. 3. de Euchar. c. 22.*

cidentia

ſubſtantiam panis manentem, intellexiſſe Gelaſium, accidentia panis. Ita quando è re ipſius fuerit dicet per album intelligi nigrum, & gloſſemate adhibito quocumque quacumque ibunt.

VII. Alia patrum teſtimonia quæ pro tranſubſtantiationis doctrina afferunt Suarez & alii, & omnium prolixiſſime Bellarminus, facilem habent ex dictis nunc ſolutionem. Qui voluerit cuncta luculentiſſime diſcuſſa cernere adeat doctiſſimum Antiſtitem [a] Spalatenſem. Quod ſi Romam denuo vectus palinodiam cecinit, (ut alii aiunt, negantibus id aliis) non dubito quin ei acciderit, quod Berengario contigiſſe dixerat ipſe, nempe coactum non convictum ceciniſſe.

VIII. [b] Bellarminus aggreditur tranſubſtantiationem probare ex ſacra ſcriptura per illa redemptoris verba Math. 26. *Accipite & manducate: hoc eſt enim corpus meum.* Sed ipſe demum fatetur cum Scoto & aliis celeberrimis Theologis, nullum pro ea re firmum argumentum ex ſcripturis duci poſſe: *etiamſi*, inquit, *ſcriptura quam nos ſupra adduximus videatur nobis tam clara, ut poſſit cogere hominem non protervum, tamen an ita ſit, merito dubitari poſſit, cum homines doctiſſimi & acutiſſimi, quales imprimis Scotus fuit, contrarium ſentiant.* Equidem Scotus, poſt accurate diſcuſſas rationes pro doctrina illa adductas, aperte dicit invalidas eſſe, & ſe propter unam Innocentii Pontificis authoritatem illi conſentire. [c] *Teneo igitur iſtam opinionem*, inquit, *ibi poſitam ab Innocentio, quod ſubſtantia panis non maneat, ſed quod tranſubſtantietur in corpus Chriſti, non propter rationes prædictas, quæ non cogunt.* De eadem tranſubſtantiationis doctrina ſic fatur Ochamus. [e] *Eſt communis opinio quam teneo propter determinationem*

[a] *Spalatenſ. de Repub. Eccleſ. lib. 5. c. 6.* [b] *Bellar. lib. 3. de Euchar. c. 23. n.* ſecundo dixit. [c] *Scot. in 4. diſt. 10. q. 3.* [d] *Ocham quodlibet. 3. q. 3.*

Eccle-

Eccleſiæ, & non propter aliam rationem. Et de ſententia affirmante poſt conſecrationem manere ſubſtantiam panis & vini, ſic pronunciat; *tertia opinio eſſet multum rationabilis, niſi eſſet determinatio Eccleſiæ in contrarium.* Hujuſmodi coacta fidei confeſſio ſufficit Eccleſiæ Romanæ præſenti, at non ſuffeciſſet priſtinæ catholicæ. Neſtorius in Concilio Epheſino confeſſionem fidei ab ipſo poſtulatæ his verbis obtulit. [a] *Dicatur, ſi placeat, Maria Deipara, & ſimultas omnis conquieſcat.* Sed quoniam non apparuit ex animo id dixiſſe, rejectus eſt.

IX. At non ullibi infelicius diſputat [b] Bellarminus quam ubi ex convenientia rationis nititur ſuadere tranſubſtantiationem; id eſt, dogma omnium, quæ umquam prodierunt, rationi maxime adverſum. Una ex ipſius rationibus eſt, quia ſi una cum corpore Domini ſubſtantia panis ſub iiſdem accidentibus contineretur, periculum eſſet, ne ſimpliciores adorarent panem: illi enim non diſtinguunt, ſed ſimpliciter adorant quod ſub illis ſpeciebus continetur. Scilicet cum Lutheranis agit, qui credebant Chriſti corpus ſimul cum pane realiter & corporaliter coexiſtere ſub ſpeciebus conſecratis. At ſane idem incommodum ex ipſius ſententia ſequitur, idemque periculum, ne ſimpliciores accidentia adorent; ipſi enim non diſtinguunt, ſed ſimpliciter adorant quod oculis objicitur, id vero non aliud eſt, quam accidentia ſive ſpecies panis, quæ abs dubio res eſt creata, adeoque non ſine ſacrilegio adoranda.

X. Altera Bellarmini contra eoſdem ratio eſt ex rei indignitate, quod abſonum videatur, ut ſimul maneant cibus mentis, & cibus ventris; panis cœleſtis & panis terreſtris. At quicquid eſt roboris in hoc argumento id totum militat adverſus ipſius ſententiam. Sane ac-

[a] *Socrat. lib. 7. hiſtor. c. 7.* [b] *Bellar. lib. 3. de Euchar. c. 22.*

cidentia

cidentia illa panis & vini, quæ ipſe manere docet, tam plene ventrem implent, & vere hominem alere valent, ac quivis alius panis, & quodvis vinum; quod nemo niſi fatuus negaverit.

XI. Poſtrema ipſius ratio (quam non ſine admiratione vidi prius traditam à Scoto doctore ſubtili) eſt hujuſmodi. Quia ſi panis adeſſet, non poſſet corpus Domini ſumi quin ſolveretur jejunium. Ex quo ſequeretur, quod nemo poſſet eodem die ſæpius communicare, cum juxta Auguſtinum non niſi à jejunis corpus Domini ſumi debeat. At quale jejunium eſt iſtud, quod per panis, non item per carnis ſumptionem, realem & phyſicam ſolvitur? Præterea quam egregie jejunaverit, qui pane & vino conſecratis ventrem ſuum affatim repleverit? An Bellarmini fides de ſubſtantia panis evaneſcente efficiet ne homo ille bene potus & ſatur abeat? Quod ſi ex ejuſmodi vini largiori potatione, ebrius reddatur, an id abſque ulla vini ſubſtantia fiet? At, inquiunt, tum ſupplet Deus miraculoſe ſubſtantiam vini. O ſane illuſtrem divinæ potentiæ ſupernaturalis exerendæ provinciam! Quod miracula edat quibus hominem potatorem ebrium reddat. Verum hujus generis miraculorum infinita congeries depromitur, ad unum illud tranſubſtantiationis mirabiliſſimum miraculum fulciendum.

XII. Nec multo felicius pro antiquitate iſtius fidei diſſerit Bellarminus;[a] contendit viguiſſe ab annis quingentis. Eſto ita. Quid ergo? Latuit Eccleſiam Dei per undecem retrò ſecula? Et quod Aquilæ ſolem Eccleſiæ Chriſtum cominus intuentes Apoſtoli, & ab ipſis edocti viri Apoſtolici, per mille & plures annos, cernere nequiverant, noctuæ demum ſubito viderunt? Concilia ab annis quingentis hanc fidem aſſerentia longo cenſu enumerat Bellarminus, Romanum ſub Nicolao

[a] *Bellar. lib. 3. de Euchar. c. 21.*

ſecundo

ſecundo, aliud ſub Gregorio 7. Lateranenſe ſub Innocentio 3. &c. Lippis & tonſoribus, an vero bene literatis viris ſcripſit hæc purpuratus pater? Sane Lippus fuerit in evolvendis hiſtoriis, qui neſciat per totum illud annorum ſpatium viguiſſe tyrannidem Pontificiam, & Concilia eo nomine ornata, reipſa non aliud extitiſſe, quam mancipiorum cœtus in verba Pontificum jurantium: ut eorum pronunciata non tam Conciliares canones, quam unius hominis, multo comitatu ad pompam ſtipati, opiniones dici debeant. Qui Pontificum Gregorii 7. & Innocentii 3. ſub quibus hoc dogma prodiit, acta legerit, feras potius quam homines, certe minime Apoſtolos putabit, quorum fidei ſit tantum tribuendum. Hæc ita ſunt nota, & à plurimis ſic luculenter comprobata, ut ſupervacaneum putem in iis explicandis diutius immorari. Proinde [a] Suarez prudenter renuit ſuffragium tranſubſtantiationi à Conciliis petere. Recole quæ dicta ſunt, candide lector, & vide quam firmis nitatur fundamentis grande illud tranſubſtantiationis dogma, tantorum tumultuum ſemen.

CAP. XXVII.

An pani Euchariſtico elevato, aſſervato, circumgeſtato, recte deferatur latriæ cultus?

I. REcte deferri, inde unice probant Suarez & alii, quod putant tranſubſtantiationis doctrinam, hactenus expoſitam, eſſe veram. Quod ſi contingat eſſe falſam, ultro fatentur, ſe mortalium omnium maxime fatuos & abſurdos idololatras eſſe, qui buccellæ

[a] *Suar. lib. 2. defenſ. fidei c. 2. n. 1.*

puri panis divinum cultum tanto ornatu & ardore tribuant. Sed cum ex dictis hactenus conſtet, quam probabiliſſimum ſit (ne quid amplius dicam) doctrinam illam falſam eſſe, quam ſine firmo aliquo fundamento, vel à ſcriptura ſacra, vel à traditione Apoſtolica, ex patrum conſenſu, vel à ratione aſſeratur; ipſi judices ſunto quantæ ſaltem temeritatis res ſit, divinitatis cultum pani illi tam cæca devotione tribuere.

II. Mitto nunc expendere quam incertum ſit, etiam ſuppoſitis ipſorum principiis, Chriſtum ſub quolibet pane conſecrato vere præſentem eſſe; cum non eſſe fateantur, ſi contingat aliquod ex variis requiſitis deeſſe, vel ex parte materiæ, vel formæ, vel ex intentione miniſtri, & legitima ipſius ordinatione, quorum aliquod deeſſe ſemper eſt poſſibile, & quæ omnia adeſſe nunquam eſt certum. An non igitur temerarium & ſceleratum fuerit, tanto periculo idololatriæ, ſaltem materialis, nulla cogente neceſſitate, ſe exponere?

III. Reprehendebat Jacobus Rex præfatum Euchariſtici panis adorandi modum ob rei novitatem. At, inquit, Suarez, non ita nova eſt, quin ante quadringentos annos eam probaverit Gregorius 9. Pontifex; nimirum ſane poſt conditum tranſubſtantiationis articulum, cujus eſt proles adoratio iſta. Et ridiculo argumento altius ducens rei originem, memorat quomodo Ivo Carnotenſis, ante quingentos annos, gratias egit Anglorum Reginæ pro campanis, quas Eccleſiæ Carnotenſi dono dederat, innuens ſolitas eſſe pulſari conſecrationis tempore; annon vero pulſari poterant ad populum vel convocandum, vel excitandum ad debitam attentionem & præparationem, accedente ſacræ communionis tempore, abſque conſilio præfatæ adorationis latriæ pani exhibendæ?

IV. Sed age, eſto ita, quod à quingentis annis mos iſte invaluerit. Interim non conſtat antiquiorem extitiſſe

titiſſe. Si conſtaret, id non diſſimulaſſet Suarez. Hinc itaque ſic argumentor. Viri ſanctiſſimi qui per mille & plures annos Eccleſiam catholicam ornarunt, & Chriſtum Dominum ceu verum Deum fideliter coluerunt, pani Euchariſtico cultum latriæ non tribuerunt. At ſane tribuiſſent ſi Chriſtum ſub accidentibus panis latere credidiſſent, ut ſub humana ſpecie latebat ipſius divinitas dum terras incoluit; quæ eſt Romanenſium hodierna fides. Ergo non crediderunt poſt conſecrationem panis illico adeſſe realiter & corporaliter præſentem Chriſtum. Nec enim vel ipſi dubitabant, vel nos dubitamus latriæ cultum eſſe ſummo jure tribuendum Chriſto domino; ut fruſtra ad id ſuadendum argumenta congerat [a] Suarez: ergo tam certum eſt, morem iſtum tribuendi latriæ cultum pani Euchariſtico elevato, aſſervato, aut circumgeſtato, eſſe illicitum, quam eſt certum tranſubſtantiationis doctrinam eſſe falſam; quod tamen certiſſimum eſſe ex dictis hactenus ſatis conſtat.

V. Quod ex Auguſtino affert [b] Suarez, & optat ut attente legatur & conſideretur, libenter legimus & præſtamus. Ita autem fatur Auguſtinus: [c] *de carne Mariæ carnem accepit, & quia in ipſa carne hic ambulavit, & ipſam carnem manducandam nobis ad ſalutem dedit, nemo autem illam carnem manducat niſi prius adoraverit, inventum eſt quomodo adoretur ſcabellum pedum Domini, & non ſolum non peccemus adorando, ſed peccemus non adorando.* Credimus omnino carnem Chriſti quam de Mariæ carne accepit, nobis manducandam ad ſalutem dari, mirabili quidem, inviſibili, & ineffabili modo: & accedentes ad manducandum, eam oculis fidei intuentes, reverenter adoramus, & impium ducimus quod ſine adoratione manducetur. Cæterum adorationem hanc ipſi Chriſto, nobis inter ſumendum ſa-

[a] *Ibi. n.* 1. [b] *Ibi. n.* 2. [c] *Aug. in pſ.* 98.

cramentum mirabiliter exhibito, præſtamus, non pani Euchariſtico, etſi ſacro quidem, & non niſi reverenter tractando, cum ſit ſacramentum & ſymbolum corporis Dominici. At pani illi aſſervato, elevato, aut circumgeſtato, cultum latriæ deberi, neque Auguſtinus neque alius ex antiquis patribus unquam docuit. Illi enim tantum exhiberi Chriſti corpus fidelibus inter ſacramenti ſumptionem credebant, utpote ſumentibus tantum in Evangelio promiſſum; ſubeſſe autem corporaliter ſpeciebus ſacramentalibus ante ſumptionem, adeoque divinum cultum eſſe tribuendum illis ſpeciebus, aut rei illis ſubſtanti, nunquam vel crediderunt, vel docuerunt. Et hæc eſt Eccleſiarum reformatarum ſimul & antiquioris catholicæ circa Euchariſtiam fides & doctrina, ut hactenus expoſuimus.

VI. Hic præterire nolui inſigne quoddam [a] Bellarmini argumentum pro cultu divino tribuendo pani Euchariſtico in pixidibus aut tabernaculis aſſervato. Scilicet quod [b] Clemens Romanus, qui tempore Apoſtolorum floruit, in ſuis conſtitutionibus jubeat peracta communione, quod ſupereſt de corpore Domini reponi à diaconis cum debita reverentia in paſtophorio. Quid autem ſit paſtophorium [c] Hieronymus explicat, ſcilicet eſſe tabernaculum in quo præfectus templi habitat. At verus templi præfectus (inquit Bellarminus) eſt Chriſtus, proinde Apoſtoli vas illud in quo ſacramentum aſſervatum recondebatur paſtophorion dixerunt. Atque inde concludit morem iſtum colendi ſacramentum in tabernaculis aſſervatum, viguiſſe Apoſtolorum tempore.

VII. Agnoſcit Bellarminus dubiæ fidei eſſe librum illum Clementi adſcriptum. Et licet non ita foret, ſane non dubiæ ſed nimis conſpicuæ vanitatis eſt Bel-

[a] *Bellar. lib. 4. de Euchar. c. 4* [b] *Clem. Rom. lib. 8. conſtit. c. 13.* [c] *Hieron. in c. 22. Iſaiæ.*

larmi-

larmini argumentum ex eo capite ductum. Cum metaphoras hac in re tantopere averſentur, cur iis tam perdite indulget, ut communiſſimo & antiquiſſimo paſtophorii vocabulo, velit intelligi illud ſuum tabernaculum mediis altaribus ſuperpoſitum, pro Euchariſtico pane cuſtodiendo, tot luminaribus & lychnis accenſis ad cultum expoſito? Cur per templi præfectum, ſerio & ſimplici ſermone commemoratum, Chriſtum Dominum ſignificari contendit? An non in ethnicorum quoque templis ſunt paſtophoria? An ea incolens præfectus eſt Chriſtus? Equidem ſacratiores Ægyptiorum ſacerdotes paſtophori ſunt dicti, eo quod Veneris pallium ferant, cui nomen eſt *paſtos*, & eorum domicilia paſtophoria dicebantur. Hinc ad priſcos Chriſtianos tranſiit mos paſtophoria nuncupandi eorum habitacula, qui Eccleſiis præficiebantur. Quod argumenti dedecus hocce eſt, ſimplicem ſermonem tam inſulſis metaphoris corrumpere, ut præfectus templi ſit Chriſtus; & paſtophorium, Euchariſtiæ tabernaculum hodie apud Romiſtas uſitatum? Sane vel tyronem in Theologia, qui in re adeo gravi tam ludicram & futilem argumentationem inſtitueret, reprehenſione dignum ego cenſerem. Profecto tam exile argumentum à tanto viro arreptum, mihi ſtrenue ſuadet, non ipſum pro veritate pugnare, nec enim illa, ſic diſtorta & fallacia ſubſidia quærit.

VIII. Cæterum re illa ſuperius commemorata, in ſua ſinceritate & veritate relicta, inde ego validius argumentum adverſus Bellarminum retorqueo. Tempore Apoſtolorum quod reliquum erat ſacramenti poſt communionem peractam, deferebatur ex altari in paſtophorium ſive in domicilium præfecti. At non ita fieret, ſi divino cultu adorandum eſſe credidiſſent, ſed illuſtriori pompâ adorandum proponerent, ut erat ipſorum ardentior in Chriſtum amor. Ergo cum non ſic

fecerint, non crediderunt ſub illis ſpeciebus corporaliter latuiſſe Chriſtum, ut proinde quod ferebatur ex ſacramento cultu divino eſſet adorandum, quod hodie faciunt Romicolæ; etſi reverenter quidem tractari & aſſervari ſacrum panem æſtimaverint in uſum abſentium aut infirmorum.

IX. Circumgeſtationem Euchariſtiæ in ſupplicationibus adorationis cauſâ multi reprehendunt, & meritò. Rem excuſans multa itidem miſcet more ſuo meus copioſus Franciſcus Suarez, quæ quidem omnia expendere non eſt præſentis otii vel inſtituti mei. Quale illud de poteſtate Eccleſiæ ad inſtituendos novos ritus &c. Inſtituat ſane, ſed licitos & commodos. At, inquit, actio iſta circumgeſtandi Euchariſtiam in ſupplicationibus eſt indifferens, unde facta ad bonum finem redditur honeſta & religioſa. Verùntamen ex dictis ſuperius liquet actionem illam ſi Euchariſtiæ adorandæ cauſa fiat, non eſſe indifferentem, ſed illicitam & Idololatricam.

X. Præterea quanquam actio illa ex ſe indifferens foret, tamen propter graviſſimum ſcandalum, quod intuentibus præbet, tum chriſtianis fratribus ex alienis Eccleſiis, tum Judæis & Paganis, ſcelerata redditur. Omnes illi idololatriam abſurdiſſimam ea re committi arbitrantur; cur tantum offendiculum ipſis detur? Probe ſciebat Paulus Apoſtolus comeſtionem carnis rem indifferentem eſſe, tamen ab illa abſtinendum eſſe ſtatuit quoties ſcandalum eſſet illatura. [a] *Quapropter*, inquit, *ſi eſca ſcandalizat fratrem meum; non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.* Cur velint homines ſapientiſſimi tot myriades Chriſtianorum hoc facto ſcandalizare? Cur eodem reddant ſacroſanctam Chriſti religionem ridiculam & ſtultam Ethnicis? Jactabunt Perſæ celſiorem Deum à ſe coli

[a] 1 *Cor.* 8. 23.

qui

qui ſolem adorant, quam à Chriſtianis qui buccellam panis adorandum circumferunt; nec ignobiliores eſſe Deos ſuos putabunt, qui Anſeres & Crocodilos, & alia animalia ceu Numina adorant.

XI. Inter alias cauſas hujuſmodi cultum inſtituendi eam denuo indicat Suarez, ſcilicet, ut populi in fide iſtius myſterii, nempe tranſubſtantiationis, firmarentur. Rem attigit. Omnino ita eſt. Incaleſcentibus circa religionem jurgiis, utrinque exorbitari à recto conſuevit, odio partis adverſæ, & ſtudio illuſtrandi ſuam. Orta circa ſacrarum imaginum uſum controverſia, alii eas prorſus exterminarunt, conculcarunt, confregerunt. Alii ut his plenius adverſarentur, eas ſuperſtitioſo cultu adorarunt. Ita circa Euchariſtiæ magnum myſterium contigit. Alii duræ cervicis & modicæ fidei homines Chriſti verbis diffidentes, ejus carnem vere & realiter exhiberi fidelibus manducandam pernegarunt. Alii non tantum ſumentibus eam exhiberi, ſed per verba conſecrationis illico adeſſe Chriſtum ſub ſpeciebus ſacramentalibus corporaliter præſentem affirmarunt, ac proinde ſacramentalia ſymbola cultu divino eſſe adoranda cenſuerunt. Alii huic errori ſuccenſentes, in alium ipſi ruentes, eadem ſacra ſymbola barbaro furore conculcarunt, & ignominioſe habuerunt. Vtinam ſubſidat tandem utrinque hic turbidarum mentium æſtus, & in juſtum temperamentum reſtituantur Eccleſiæ Chriſtianæ membra, primæva fidei ſanctitate in univerſum corpus redeunte.

CAP. XXVIII.

Oſtenditur perperam denegari populo fideli uſum calicis Euchariſtici.

I. ALtera tranſubſtantiationis doctrinæ proles eſt mutilata communio, qua laicis perpetuo denegatur uſus Euchariſtici poculi. Ejus rei cauſas aſſignant aliqui prorſus ineptas. Quod ægre vinum ſuppetat univerſo populo. Quod non expediat viros primarios & nitidos ex eodem calice cum plebeis aut morbidis potum ſumere. An vero plures aut frequentius hodie ad communionem accedunt quam antiquitus? Imo quidem pauciores & rarius. An non etiam tum erant populo communicanti admixti nobiles & mundi homines? An ob hujuſmodi ratiunculas æquum eſt inverti ritum à Chriſto inſtitutum?

II. Proinde aliam proferunt [a] Bellarminus & [b] Suarez, eamque abs dubio genuinam hujus legis cauſam, qua Euchariſtici calicis uſus laicis perpetuo vetatur. Scilicet ut ea ratione firmarentur in fide illius circa tranſubſtantiationem doctrinæ hactenus expoſitæ, & etiam alterius ex eadem ortæ circa concomitantiam ſanguinis Dominici cum corpore in ſpecie panis; nimirum cum ſanguis Chriſti non amplius diviſus exiſtat à corpore ipſius vivo & glorioſo, merito ſane credunt ubicunq; vere & corporaliter exiſtit Chriſtus, ibidem coexiſtere ſanguinem una cum corpore; & ubi ſanguis eſt, ibi etiam per concomitantiam adeſſe corpus non dividendum amplius à ſanguine. Unde cum putent per verba conſecrationis adeſſe Chriſtum phyſicè &

[a] *Bellar. lib. 4. de Euchar. c. 28.* [b] *Suar. lib. 2. defenſ. fid. c. 5. n. 20.*

cor-

corporaliter ſub ſpeciebus panis, conſequenter exiſtimant ſimul cum corpore ibidem adeſſe ſanguinem, ut proinde qui corpus ſumpſerit ſanginem quoque ſumpſiſſe dicatur; & è contra ſub vini ſpecie, corpus ſimiliter ſanguinem comitari, ut alter ſine altero ſumi nequeat.

III. Cum igitur quidam ridentes iſthanc nunc expoſitam concomitantiæ doctrinam, eo quod non crederent Chriſtum vivum ſub ſpeciebus ſacramentalibus corporaliter adeſſe, improbaſſent uſum communicandi ſub una ſpecie doctrinæ illi innixum, in horum deſpectum decrevit Concilium [a] Conſtantienſe, non tantum licitam eſſe communionem ſub una ſpecie, ſed deinceps illicitam fore & anathemate damnatam communionem ſub utraque ſpecie laicis exhibitam, *non obſtante* quod Chriſtus eam fidelibus omnibus ſine diſcrimine dandam inſtituerit ſub utraque ſpecie, & ea fuerit primitivæ Eccleſiæ praxis. Hanc fuiſſe Concilio Conſtantienſi cauſam præfati decreti condendi expreſſe affirmat [b] Bellarminus per hæc verba. *Cum igitur Eccleſia certa fide teneret in qualibet ſpecie totum adeſſe Chriſtum, & uſum ejuſdem Eccleſiæ non poſſe eſſe erroneum, merito ob hujus graviſſimi erroris deteſtationem non permiſit abrogari conſuetudinem unius ſpeciei.* Addidiſſet porro, *& vetuit uſitari conſuetudinem primitivam utriuſque ſpeciei.* In eandem ſententiam ſcribit [c] Suarez, aiens prudenter feciſſe Eccleſiam hanc conſuetudinem introducendo, *ad fidem erga hoc ſacramentum perfectius exercendam, utique Chriſtum in toto ſacramento, eundemque Dominum totum in ſingulis ſacramenti partibus, oculis fidei intuendo.*

IV. In his duo mihi maxime miranda, nec minus damnanda videntur. Primum quod res de ſe ſancta

[a] *Concil. Conſtant. ſeſſ.* 13. [b] *Bellar. ibi* §. ſecundo movit. [c] *Suar. ibi c.* 5. *n.* 2.

à Chriſto inſtituta, & per ſanctiorem & puriorem Eccleſiam uſitata, ſcilicet communio ſub utraque ſpecie, Conciliari canone ſub anathemate elimi[illegible]ctur, propterea quod aliqui demum ex erroneo quopiam motivo eam exercuiſſent, & oppoſitam praxim improbaſſent. (Suppono erraſſe illos qui præfatam concomitantiæ doctrinam ridebant.) Hac ratione quid tandem eſt in chriſtiana diſciplina ita ſacroſanctum quod non aliquando exterminandum veniet? Nec enim aliquid fere eſt quod non aliqui ex prava intentione, vel erroneo motivo uſurpaverint, aut aliquando ſint uſurpaturi. [a] Saturninus continentiam prædicabat eo quod nubere & generare à Sathana eſſe credidiſſet: item [b] Tatianus, & ab eo orti Encratitæ, quoniam nuptias à ſcortatione nihil differre putabant: ideone erit damnandus cœlibatus & continentiæ ſtatus? E contra [c] Ebionitæ & Helſceſaitæ ad matrimonium cogebant, quia credebant virginitatem eſſe rem pravam & illicitam. An propterea erunt prohibenda matrimonia in deteſtationem illius erroris?

V. Alterum hac in re inſolentiſſimum apparet, quod Chriſti inſtitutio palam & ſcienter abrogetur, ne Papalis definitio detrimentum patiatur. Fatetur ultro [d] Bellarminus cum Scoto, & aliis celeberrimis Romanæ ſcholæ doctoribus, tranſubſtantiationis doctrinam (cujus eſt iſta alia de mutilata communione proles) nullum in ſacris ſcripturis firmum fundamentum habere, Papali tantum definitione fulciri. Fatentur omnes (nec enim id diffiteri quiſpiam valet) ex clariſſimis & apertis Evangelii teſtimoniis conſtare Chriſtum Dominum ſacram corporis & ſanguinis ſui communionem ſub utraque panis & vini ſpecie inſtituiſſe,

a *Euſeb. lib.* 4. *c.* 7. *Irenæus lib.* 1. *c.* 22. b *Epiphanius hæreſi* 46. *Irenæus lib.* 1. *c.* 3. c *Epiphanius hær.* 19. *&* 33. d *Bellar. lib.* 3. *de Euchar. c.* 23. *v.* ſecundo dixit.

ita

ita eam discipulis tradidisse, & tradi deinceps fidelibus præcepisse. Et non obstante hac Christi institutione & lege, non tantum permittitur communio sub una duntaxat specie, sed etiam prohibetur, & sub anathemate damnatur communio sub utraque, idque ut Papalis definitio sarta tecta servetur.

VI. Hæc ego non aliter esse redarguenda censerem quam per illa Christi verba adversus Scribas & Pharisæos, severos minutiarum cultores, prolata. [a] *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* Et instar totius argumentationis mihi est ad eorum argumenta pro re ista spernenda, ceu à veris Christianis non audienda, quod argumenta quærant pro Christi institutione exterminanda, & sua Papali adversus eam stabilienda. Ne minus Ecclesiæ videretur erroneus, inquit Bellarminus (O religiosum scribam!) merito lege firmatum est ne communio in posterum sub utraque specie populis detur, non obstante quod Christus oppositum statuerit. Hoc facte enutritis nostratibus, qui strenui catholici videri volunt, solemne est palam profiteri, se orationem Dominicam recitare missuros, si Dominus Papa ita decrevisset, quantumvis Dominus Jesus ita esse orandum docuerit. Et si hoc non est hominem supra Deum extolli (quod de Antichristo in vaticiniis est) quid tandem illud est?

VII. Si urgeas præceptum Domini omnes ad Eucharisticum poculum invitantis Matth. 26. *Bibite*, inquit, *ex hoc omnes*. Respondet Bellarminus solis Apostolis, qui nimirum soli aderant, hoc præceptum fuisse datum. At hoc argumento pariter conficitur præceptum sumendi panem Eucharisticum solis Apostolis fuisse datum. Etenim soli illi aderant etiam cum accipiens panem Christus dixit, *Accipite & manducate*. Nullos itaque præter A-

[a] *Matth.* 15. 3.

poſtolos comprehendit præceptum ſumendi vel panem vel poculum Euchariſticum.

VIII. Ad hæc contendunt presbyteros qui Apoſtolorum ſunt ſucceſſores comprehendi præcepto illo. Etiamnum claudicat præfatum Bellarmini argumentum. Si ſolis Apoſtolis quoniam ſoli aderant datum eſt præceptum illud, *Bibite ex hoc omnes*, & ad ſolos presbyteros, quippe Apoſtolorum in munere ſucceſſores, tranſiit ejuſdem præcepti obligatio, qua ratione ad laicos, qui nec cœnæ aderant, nec Apoſtolorum ſunt in munere ſucceſſores, tranſiit obligatio præcepti de ſumendo Euchariſtico pane, ſi illud ſolis præſentibus datum eſt? Dicendum itaque omnino eſt, non tantum præſentibus, ſed omnibus in futurum fidelibus, non presbyteris tantum, ſed populis quoque (propter quos preſbyteri ſunt inſtituti) Chriſtum providiſſe pabulum animarum in vitam æternam, per ſacramentum corporis & ſanguinis ſui ab omnibus ſumendum ſub ſpeciebus panis & vini. Qui ſolis presbyteris utramque ſpeciem ad eſſentiam ſacramenti confluentem (ut mox conſtabit) permittunt, & populum fidelem hoc potiori animarum pabulo ſpoliant, videant ne in ipſos cadat illud propheticum. [a] *Væ paſtoribus Iſrael qui paſcebant ſemetipſos! Nonne greges à paſtoribus paſcuntur?*

IX. Si præterea urgeas tremendam illam Chriſti Domini comminationem Joannis 6. 54. *niſi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis.* Tres ſolutiones celebres ex aliis refert [b] Bellarminus. Quarum prima eſt totum Chriſtum ſub utravis ſpecie vivum & corporaliter exiſtere, proinde utravis ſumpta carnem pariter & ſanguinem ipſius ſumi. Hujus ſolutionis inanitas ex dictis ſupra de falſitate ſuppoſiti, ſatis liquet & ex mox dicendis plenius liquebit. Secunda ſolutio eſt particu-

[a] *Ezech.* 34. 2. [b] *Bellar. lib.* 4. *de Euchar. c.* 25.

lam

lam conjunctivam (*&*) in ſcripturis aliquando ſumi pro disjunctiva, ut Actor. 3. *Argentum & aurum non eſt mihi*, id eſt argentum vel aurum &c. Præclaro ſcilicet ratiotinationis ordine, quoniam alicubi in ſcripturis *&* pro *vel* ſumitur, hic quoque ſic ſumi debet. Ita dum præcipimur Deum & proximum diligere, ſatisfeciſſe dicemur ſi alterum diligamus, altero neglecto. Et legem præſcribentem Patris & Matris cultum adimplebit, qui patrem coluerit, etſi matrem ſpernat, & è converſo.

X. Subſequentia Chriſti verba: *qui manducat me, vivet propter me.* Item, *qui manducat hunc panem, vivet in æternum*, per Bellarminum adducta in confirmationem præfati interpretamenti, parum ipſi proſunt. Nec enim diviſus eſt Chriſtus, ut caro ipſius ſine ſanguine ſumi poſſit, ut adverſarii fatentur. Porro modum ſumendi Chriſtum, ipſiuſque carnem & ſanguinem, verbo & opere ipſe oſtendit, panem ſimul & vinum exhibendo, & præcipiendo Apoſtolis ut idem ipſi faciant. Denique panis ille conferens vitam æternam non alius eſt quam ſacramentalis; at panis ſolus ſacramentum non conficit, niſi addatur & vinum, quod etiam adverſarii fatentur, ut inferius videbitur. ergo.

XI. Tertia denique ſolutio in præſidium ſuæ doctrinæ à Bellarmino adducta eſt, in ſcripturis aliqua eſſe præcepta univerſæ quidem Eccleſiæ intimata, ſed implenda per aliquos, non per ſingulos, quale illud: *Creſcite & multiplicamini*, quod utique ad ſingulos non extenditur. Similiter, inquit, explicari valent præfata verba: *niſi manducaveritis &c.* id eſt, niſi ſint in Eccleſia aliqui qui hoc ſacramentum ſub utraq; ſpecie ſumant, non habebitis vitam in vobis. At hæc ſolutio, præterquam quod maxime frivola eſt, ſolventes implicat inextricabili nodo. Inde namque manifeſte ſequitur neminem prorſus ex laicis obligari præfato præcepto,

ſed neque ex clero aliquem in particulari: ſufficere, nimirum ſi aliquis indeterminatus ſumat. Quantæ hic ſalebræ? Quanta abſurda?

XII. Hæc ad Bellarminum dicta ſufficiant: ſuccedit [a] Suarez authoritatem Eccleſiæ urgens pro iſtiuſmodi condendis legibus, *quamvis enim*, inquit, *illa quæ ſunt de ſubſtantia ſacramentorum & à Chriſto inſtituta, mutari per Eccleſiam non valent; nihilominus ea quæ ad accidentales ritus & ad mores utilitatem pertinent, variationem accipere, & Eccleſiæ authoritate pro temporum opportunitatibus mutari poſſunt.* Verumtamen ipſe [b] Suarez alibi docet ſpecies conſecratas panis & vini eſſe partes eſſentiales ſacramenti Euchariſtiæ, imo illas ſolas rationem ſacramenti propriè obtinere, plures alios Theologos in eam ſententiam referens, eamque communem eſſe Theologorum omnium doctrinam, quam ipſe his verbis profitetur. *Dico tertio, ſpecies conſecratas eſſe Euchariſtiæ ſacramentum, ſeu ad ejus conſtitutionem intrinſecè & eſſentialiter pertinere.* Porro ſacramentum hoc fuiſſe à Chriſto inſtitutum ſub utraq; ſpecie ex Evangelio conſtat, & nemo negat. Si itaque illa quæ ſunt de ſubſtantia ſacramentorum & à Chriſto inſtituta, mutari per Eccleſiam non valent, quæ iſta eſt Eccleſia, quę mutationem inſtituit in his quæ ipſi fatentur eſſe de ſubſtantia Euchariſtici ſacramenti?

XIII. Hæc ſic invicem pugnantia ut aliquo modo conglutinent, unum illud eſt effugium, carnem pariter & ſanguinem, quamvis non vi verborum conſecrationis, ſed tamen per concomitantiam ſuperius explicatam, eſſe ſub quavis ex ſpeciebus. At licet id verum foret adhuc hærent in contradictionis ſalebra. Etenim per ipſos ſacramentum non conſtituitur per carnem & ſanguinem Chriſti in ratione ſacramenti proprie ſumpti, ſed per ſpecies conſecratas panis ſimul

[a] *Suar. lib. 2. defenſ. fid. c. 5. n. 1.* [b] *Suar. in 3. p. diſ. 42. ſect. 1.*

&

& vini: ergo quicquid demum velint contineri ſub ſpecie panis, ſane ſacramentum non eſt, ubi utraque ſpecies non eſt, ergo unam tantum exhibentes ſacramentum non exhibent.

XIV. Denique ut cunctis ipſorum effugiis viam occludam, & aperiam quam periculoſe & temere hac in re philoſophantur, uno hoc dilemmate rem expediam. Vel illa toties dicta tranſubſtantiationis, eique innixa concomitantiæ doctrina, juxta mentem Chriſti hoc ſacramentum inſtituentis eſt, vel non eſt. Si non eſt, corruunt penitus hoc dimidiatæ communionis, aliaque ei fundamento innixa dogmata. Quod ſi forte etiam foret juxta mentem Chriſti præfata doctrina, tamen hoc non obſtante viſum eſt ipſi propter fines ſibi notos, etſi noſtrum captum ſuperantes, communionem corporis & ſanguinis ſui nobis exhiberi ſub ſpeciebus panis ſimul & vini; ſicut voluit gratiam baptiſmalem nobis tribui per elementum aquæ. Quis autem ſic blaſphemus erit ut dicat quidpiam fuiſſe à Chriſto inſtitutum ſuperfluè, & ſine juſta cauſa? Ergo cum ſacramentum Euchariſtiæ inſtituerit & dederit ſub utraque ſpecie panis & vini, ſub iiſdem omnibus dari oportet, ſi de virtute & effectu ſacramenti ſecuri eſſe velimus. Quantæ temeritatis eſt in re tanti momenti, ob leviſſimas ratiunculas à via per redemptorem præſcripta recedere, & ſalutem animarum æternam tanto periculo, nulla cogente neceſſitate, exponere?

CAP.

CAP. XXIX.

Examinatur Eccleſiæ Romanæ doctrina circa confeſſionem pœnitentialem.

I. POſt explicatas pro modulo noſtro hodiernas circa ſacroſanctum Euchariſtiæ ſacramentum potiores controverſias, ſuccedit exponere confeſſionem pœnitentialem, quæ ad ſacramentum illud præparatoria eſſe conſuevit, & circa quam varii ſunt apud Romanenſes errores, qui Eccleſiarum paci & unioni magnopere obſtant, quique propterea à nobis ſunt pro viribus confutandi.

II. Primus error nunc exponendus eſt calumniæ, per quam vulgo referunt confeſſionem pœnitentialem qua fideles peccata ſua ſponte aperiunt Eccleſiæ paſtoribus, ut conſolationem, directionem, & abſolutionis beneficium ab ipſis obtineant, apud Proteſtantes damnari & aboleri. Hujus calumniæ iniquitas appareret ex libro liturgiæ ſeu precum communium Anglicanæ Eccleſiæ, primo quidem in exhortatione ad debitam præparationem pro ſanctiſſimo Euchariſtiæ ſacramento recipiendo, poſt explicatam rationem cujuſque vitam & converſationem explorandi ad mandatorum Dei normam, dignamque de admiſſis ſceleribus pœnitentiam agendi, hæc à paſtore verba ſubjiciuntur. [a] *Si quis veſtrum conſcientiæ ſuæ tranquillitatem comparare ſupradictis rationibus non valeat, ſed ampliore conſolatione aut conſilio ſibi opus eſſe putet, ad me accedat, aut alium prudentem & doctum verbi Dei miniſtrum a-*

[a] *Ex lib. liturgiæ Latine edito Londini Ann.* 1670.

deat

deat, & id quo gravatur illi exponat, ut verbi Dei ministerio absolutionis beneficium consequatur, ut & spirituale consilium & admonitionem, ad conscientiæ æstus sedandos, & dubia ac scrupulos omnes eximendos.

III. Secundo retellitur calumnia illa ex eodem Liturgiæ libro, ubi ministro visitanti infirmos post alias instructiones hæc adjicitur: *monebitur infirmus ut peccata sua privatim confiteatur si in re ulla magni momenti gravatam conscientiam sentiat. Qua finita confessione, præsbyter (si id infirmus suppliciter atque ex animo petierit) eum absolvet in hunc modum.*

IV. *Dominus noster Jesus Christus qui reliquit Ecclesiæ suæ potestatem absolvendi omnes peccatores vere pœnitentes, & in eum credentes, ipse, pro ingenti misericordia sua delicta tua tibi condonet. Ego vero authoritate ipsius mihi commissa, absolvo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris Filii & Spiritûs sancti. Amen.*

V. Secundus error etiam calumniæ est, quod in Ecclesia Anglicana non existat legitimum sacerdotium, adeoque nec potestas illa clavium per Christum data pastoribus Ecclesiæ, qua fideles vere pœnitentes absolvere valeant à peccatis sibi per confessionem expositis. Per hanc calumniam plurimos avertunt à communione Ecclesiæ Anglicanæ, illos scilicet qui probe scientes nihil esse in fide Ecclesiæ istius, quod catholicæ & Apostolicæ fidei repugnet; nuperiores etiam articulos, quos Romana Ecclesia obtrudit, & Anglicana renuit inter fidei divinæ oracula reponi, nequaquam esse de necessitate salutis, unum illud dubitant num Ecclesia Anglicana, post suam à Romana separationem, legitimam Episcoporum & Ministrorum successionem, validamq; ordinationem retinuerit; ita ut eorum ministerio in administratione sacramentorum se tuto credere possint. Cum animadvertissem rem esse non exigui momenti ad vacillantes multorum animos confirman-

dos, in ſuperiori meo ſcripto, [a] conſpicuis argumentis, ad Romanæ-catholicæ quoque Theologiæ regulas exactis, oſtendi legitimam ſucceſſionem & validam ordinationem Epiſcoporum, præsbyterorum & Diaconorum in Eccleſia Anglicana perpetuo manſiſſe, & hodie manere. Rem eandem egregie probavit, & ab adverſariorum calumniis & iniquis fabellis juſto volumine vindicavit Magiſter Maſonus; & nuperius luculentiſſime Armachanus Archipreſul Bramhall peculiari cpuſculo in eam rem edito, ne in ea nunc diſcutienda mihi ſic immorandum.

VI. Tertius error nunc potiſſimum refellendus, eſt confeſſionem ſpecificam & numericam omnium peccatorum mortalium cunctis poſt baptiſmum lapſis eſſe jure divino neceſſariam, ita ut pœnitentia apud Deum ſive actus contritionis per dolorem de peccatis admiſſis fidei veræ & charitati in Deum innixus, non ſufficiat ad remiſſionem obtinendam abſque confeſſione auriculari in re vel in voto, quæ eſt Concilii Tridentini doctrina Seſſ. 14. cap. 5. & c. 6, 7, 8.

VII. Equidem confeſſionem peccatorum ſacerdotibus factam in animarum ſalutem rem eſſe in Eccleſia catholica antiquiſſimam, à ſanctis patribus multum commendatam, animabus ſaluberrimam & Eccleſiæ pariter ac Reip. maxime commodam, apud omnes pios & eruditos homines in confeſſo eſt. Cæterum cunctos, poſt baptiſmum lapſos ad eam obligari jure divino (cum juris ejuſmodi nullum veſtigium appareat in divinis oraculis ut mox apparebit) inique aſſeritur. Qui id aſſerunt quodcunque demum emolumentum inde præſtolantur, audiant Jobum virum utique ſimplicem & juſtum ſic eos compellantem: *Numquid Deus indiget veſtro mendacio, ut pro illo loquamini dolos?* [b]

[a] *Tract. de veritate relig. catholicæ per Anglicanam Eccleſiam aſſertæ p^te. 1. à capite 5. ad 11.* [b] *Job. 13. 7.*

VIII.

VIII. Porro ut appareat quam ſine fundamento ex divinis oraculis præfata obligatio adſtruatur, operæ pretium erit explorare quid pro illa attulerit Bellarminus, qui nullum lapidem non movit per totos ſuos de Pœnitentia tres libros, ut hanc doctrinam ſtabiliat. Totam vim magnæ illius molis fatetur ipſe in hunc ſyllogiſmum colligi: qui mortali peccato ſe obſtrinxerunt, tenentur jure divino pœnitentiam agere & reconciliationem cum Deo quærere. Sed medium neceſſarium ad reconciliationem poſt baptiſmum eſt confeſſio peccatorum omnium ſacerdoti facta. Ergo tenentur jure divino qui poſt baptiſmum mortali peccato ſe obſtrinxerunt, ſacerdoti peccata omnia confiteri.

IX. In probatione majoris propoſitionis fruſtra laborat; eam ultro fatemur, imo & ipſam Evangelii prædicationem à pœnitentiæ commendatione cœpiſſe. Aſſumptionem, ſive minorem propoſitionem, ſcilicet peccatorum omnium confeſſionem ſacerdoti factam eſſe medium neceſſarium ad reconciliationem cum Deo, hoc altero falaciſſimo ſyllogiſmo probare aggreditur. Chriſtus inſtituit ſacerdotes judices ſuper terram cum ea poteſtate, ut ſine ipſorum ſententia nemo poſt baptiſmum lapſus reconciliari poſſit: ſed nequeunt ſacerdotes recte judicare niſi peccata cognoſcant. Ergo jure divino tenentur qui poſt baptiſmum lapſi ſunt peccata ſua ſacerdotibus aperire.

X. Reſpondeo Chriſtum inſtituiſſe quidem ſacerdotes judices eiſque tradidiſſe poteſtatem clavium ad ligandum & ſolvendum, primo publicos & ſcandaloſos peccatores, eos per cenſuras amovendo, ceu morbidum pecus à cœtu fidelium, & communione ſacrorum; eoſdemque poſt reſtituendo, poſt juſtam penitentiam & congruam pro delictis ſatisfactionem factam. Deinde conſimilem poteſtatem habent reſpectu eorum

qui peccata ſua occulta ſponte ſubjiciunt clavibus Eccleſiæ, ut pro illorum ratione ad pœnitentiam & ſatisfactionem dirigantur & obligentur à ſacerdotibus, atque poſt illas præſtitas à peccatis abſolvantur. Ad hæc quidem judicia exercenda requiritur cognitio peccatorum ſacerdotibus data.

XI. Cæterum perperam & ſine fundamento additur ſacerdotes ſic fuiſſe inſtitutos judices ut abſque eorum ſententia nemo poſt baptiſmum lapſus reconciliari valeat. Nimirum ita eos Deus judices conſtituit ut ſibi interim ſupremam judicandi poteſtatem retinuerit, adeo ut qui voluerit animæ ſuæ negotium cum ſolo Deo tranſigere, id ipſi integrum ſit. Hujus veritatis frequentiſſima & clariſſima teſtimonia exſtant apud priſcos Eccleſiæ patres, quorum aliquot hic exponam.

XII. Imprimis Chryſoſtomus docet qualiter abſque externa aliqua apud hominem confeſſione peccatorum remiſſionem à Deo obtinere valeamus. "[a] Non dico "tibi, *inquit*, ut ea (*ſcilicet peccata tua*) tanquam "pompam in publicum proferas, neque ut te accuſes, "ſed ut pareas Prophetæ dicenti: Revela Domino viam tuam. Apud Deum ea confitere, apud judicem "confitere peccata tua, orans, ſi non lingua, ſaltem "memoria, & ita roga ut tui miſereatur. Idem alibi expreſſe tradit quomodo abſque ullo teſte hoc negotium apud Deum confici valeat: "[b] neque neceſſarium "præſentibus teſtibus confiteri; cogitatione fiat delictorum exquiſitio, abſque teſte fit hoc judicium. Solus te Deus confitentem videat. Caſſianus magiſtrum ſuum Chriſoſtomum ſecutus, ita in eandem rem ſcribit. "[c] Quod ſi verecundia retrahente, revelare ea coram hominibus erubeſcis, illi quem latere non poſſunt, confiteri ea jugi ſupplicatione non deſinas, ac dicere ini-

[a] *Chryſoſt. in epiſt. ad Hebr. hom* 31. [b] *Idem homil. de Pœniten. & Confeſſ.* [c] *Caſſian collat.* 20. *c.* 28.

qui-

" quitatem meam ego cognoſco, qui & abſque ullius " verecundiæ publicatione curare, & ſine improperio " peccata donare conſuevit.

XIII. Porro qualiter Apoſtolo monenti ut ante ſumptionem corporis Dominici [a] *probet ſemetipſum homo*, parere quis poſſit abſque confeſſione homini facta, ita docet Chryſoſt. " [b] probet autem ſeipſum unuſquiſque " & tunc accedat: neque juſſit alterum alteri probare, " ſed ſibi ſemetipſum, faciens judicium ad quod po- " pulo non pateat aditus, & probationem quæ careat teſtibus. *Id ipſum alibi ſic clarius exponit*: " [c] Intus in " conſcientia adſtante nemine, præter eum qui cuncta " videt Deum, qui & ſcrutatur, & de peccatis judi- " cat, & omnium vitam quaſi lance quadam librat, " judicium peccatorum ſtatuens & vitam omnem reco- " gitans, in mentis judicium peccata deducito, refor- " ma quod deliquiſti, atque ſic pura conſcientia ſa- " cram attinge menſam.

XIV. Laurentius Novarienſis quinti ſeculi pater eandem doctrinam luculenter tradit. " [d] Ex illa die (*ait* " *ipſe*) illaque hora qua egreſſus es è lavacro, ipſe tibi " es fons, jugis & diuturna remiſſio: non opus habes do- " ctore, non dextra ſacerdotis---Exinde teipſum ſta- " tuit tibi judicem & arbitrum, deditque tibi notitiam " ut poſſis ex te diſcere bonum & malum.---Et quia " non poteras manens in membris, corporiſque com- " page, liber exiſtere à peccato, immuniſque eſſe à " noxa poſt baptiſma, remedium tuum in teipſo ſta- " tuit, remiſſionem in arbitrio tuo poſuit, ut non quæ- " ras ſacerdotem, niſi cum neceſſitas flagitaverit, (id " *eſt cum ſtimulis conſcientiæ torqueris*) ſed ipſe jam, " ac ſi ſcitus perſpicuuſque Magiſter, errorem tuum " intra te emendes, & peccatum tuum pœnitudine ab-

[a] 1 *Cor.* 11. 28. [b] *Chryſoſt. in* 1. *Cor. homil.* 28. [c] *de Pœnit. homil.* 8. [d] *Laur. Novar. de Pœnit. homil.* 8. *Tom.* 2. *bibliothec.*

"luas. — Fons nunquam deficit, aqua intus eſt, ablu-
"tio in arbitrio eſt, remiſſio in rore eſt lachrymarum.

XV. Contritionem ſolam, id eſt dolorem de peccatis dilectioni Dei ſuper omnia innixum, poſſe ac etiam ſolere peccata remittere, ita tamen ut in illa includatur votum confeſſionis presbytero faciendæ docent Romanæ ſcholæ Theologi poſt Magiſtrum ſententiarum. [a] Quod autem nulla contritio ad reconciliationem ſufficiat abſque confeſſione in re vel in voto, probari putant ex illo Pſalmi: *Dixi confitebor: & tu remiſiſti.* At merito ſuſpecta eſſe debet doctrina quæ cortici literæ nititur, non habita ratione ſenſûs. Quid enim? Votum confeſſionis auricularis emiſit ſanctus Propheta David verba illa proferens? Si emiſit certe ſolvit: & alicui confeſſario poſt verba præfata confeſſus eſt, quod ridiculum omnino eſſet aſſerere. Igitur de humili agnitione & dolore peccatorum ſuorum coram Deo verba illa ſunt intelligenda. Uti & plura alia ſacræ ſcripturæ confeſſionem peccatorum commendantia; quâ unâ obſervatione irrita redduntur multa adverſariorum argumenta.

XVI. Confeſſionis peccatorum apud ſacerdotes faciendæ plurima commoda recenſet Bellarminus, [b] quibus ego plura adderem, ac propter omnia confeſſionem ſponte faciendam numquam non commendabo, debitis circumſtantiis obſervatis tum facientis confeſſionem, tum eam excipientis, juxta patrum documenta mox exponenda. Cæterum legem eccleſiaſticam, nec antiquiorem Innocentio tertio divinam dicere, & ſub tanto terrore cunctis imponi ceu prorſus neceſſariam, iniquum eſſe cenſeo. Quod Bellarminus ipſe aſſerit, ſi quæ res eſt in Eccleſia catholica gravis & difficilis, eam eſſe confeſſionem, omnino verum eſt ſi de confeſſione illa ſcrupuloſa per minutiſſimas circumſtantias,

[a] *Magiſter in 4. diſt. 17.* [b] *Bellar. lib. 3. de Penit. c. 12.*

omnibus

omnibus ſine diſcrimine poſt baptiſmum lapſis per illos præceptâ, ſit ſermo; cur rem difficilimam hominibus ſine neceſſitate imponant? Cur jugum Chriſti quod ipſe ſuave eſſe prædicaverat, ſuis additamentis importabile reddant? uti reddi hoc confeſſionis præcepto, nimis compertum pluribus eſt. Hinc docentur nullum peccatum grave abſque confeſſione auriculari remitti, ſi quod peccatum, ſi quæ peccati circumſtantia ſpecifica in confeſſione reticeatur, novum peccatum idque graviſſimum ſacrilegii prioribus addi. Inde prævaleſcente verecundia malunt plurimi in peccatis ſordeſcere, & gehennæ periculo ſe committere, quam occultas immunditias homini aperire. Quantæ hinc perplexitates, aucta præſertim indies rei difficultate per novas peccatorum reſervationes nunc ſoli Papæ, nunc Epiſcopis, nunc ordinum prælatis factas? Ægre ferunt hanc dici *conſcientiarum lanienam*; at plures ſentiunt eam eſſe omni laniena corporis duriorem.

XVII. Inter plurima damna legis iſtius rigidiſſimæ per Romanam Eccleſiam circa confeſſionem invectæ, unum illud eſt maxime lugendum, quod odio legis illius in deſuetudinem abierit apud plurimos uſus ſpontaneæ confeſſionis ipſis ſaluberrimus, & aliquando neceſſarius. Ut enim ægrotante corpore licet quis aliquando ſalutem recuperet abſque ope medici, tamen ſi contingat ut nec ipſe naturam morbi aut illius medendi rationem per ſe calleat, neceſſarium eſt ut medicum peritum adeat concilii & auxilii cauſa. Ita animo peccatis gravato, ſi quis ſibi ipſi nequeat eſſe *ſcitus perſpicuuſque Magiſter* (ut loquebatur Novarinus) id eſt, ſi nec ſcelerum ſuorum gravitatem, nec rationem ea purgandi per ſe noſcat, omnino neceſſarium videtur ut medicum animæ ſpiritualem quærat, eique peccata quibus gravatur exponat, *quo abſolutionis beneficium conſequatur, ut & ſpirituale conſilium & admonitionem*

tionem ad conſcientiæ æſtus ſedandos, & dubia ac ſcrupulos omnes eximendos. Ut eſt in exhortatione Anglicanæ Eccleſiæ præparatoriâ ad ſacram communionem, ſuperius laudata.

XVIII. Hujuſmodi confeſſionem, medicinæ & directionis capiendæ cauſâ ſacerdotibus faciendam, plurimum apud patres commendatam cernimus, ſerio tamen urgentes confeſſoris electionem, qui pius ſit & prudens, ne tantum abſolutionis recipiendæ cauſa ad eam ſuadere videantur, quam ſcilicet quivis presbyter exhibere valeat. [a] Origenes ita rem exponit. "Pro-"nunciationem iniquitatis, id eſt confeſſionem peccati, "frequentius diximus---Tantummodo circumſpice di-"ligentius, cui debeas confiteri peccatum tuum. Pro-"ba prius medicum cui debeas cauſam languoris ex-"ponere, qui ſciat infirmari cum infirmante, flere cum "flente, qui condolendi & compatiendi noverit diſci-"plinam, ut ita demum ſi quid ille dixerit, qui ſe pri-"us & eruditum medicum oſtenderit & miſericordem "ſi quid conſilii dederit, facias & ſequaris." In eandem ſententiam ita ſcribit Baſilius: "[b] omnino in "peccatorum confeſſione eadem ratio eſt quæ etiam "in apertione vitiorum corporis, ut igitur vitia cor-"poris nequaquam quibuſvis temere homines aperiunt, "ſed iis tantummodo qui rationem qua ea curanda ſint "teneant; eodem modo etiam peccatorum confeſſio "fieri debet apud eos videlicet qui ea poſſint curare "conſentaneum in modum illi quod ſcriptum eſt. Vos "qui firmiores eſtis imbecillitates infirmiorum portate, "hoc eſt tollite diligentia & cura veſtra.

XIX. Tota ſeries veræ doctrinæ circa confeſſionem pœnitentialem hactenus traditæ luculentiſſime exponitur in canone 3. Concilii Cabilonenſis [c] ante octingen-

[a] *Origen. in. pſ. 38. homil. 2.* [b] *Baſil. in regulis brevioribus.* [c] *Concil. Cabilon. 2. c. 33. & de Pœnit. diſt. c. 90.*

tos

tos annos celebrati per hæc verba: *Quidam ſolummodo Deo confiteri debere dicunt peccata; quidam vero ſacerdotibus confitenda eſſe percenſent: quod utrumque non ſine magno fructu intra ſanctam fit Eccleſiam: ita duntaxat ut & Deo, qui remiſſor eſt peccatorum, confiteamur peccata noſtra, & cum David dicamus: delictum meum cognitum tibi feci, & injuſtitiam meam non abſcondi. Dixi confitebor adverſum me injuſtitias meas Domino & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Et ſecundum inſtitutionem Apoſtoli, confiteamur alterutrum peccata noſtra, & oremus pro invicem, ut ſalvemur. Confeſſio itaque quæ Deo fit purgat peccata; ea vero quæ ſacerdoti fit, docet qualiter ipſa purgentur peccata. Deus namque ſanitatis & ſalutis author & largitor, plerumque hanc præbet ſuæ potentiæ inviſibili adminiſtratione, plerumque medicorum operatione.* Hic habes ſummam doctrinæ veteris Eccleſiæ catholicæ (quam etiam Anglicana ſectatur) circa confeſſionem peccatorum. Habes confeſſionem quæ ſoli Deo fit potiſſimum commendari, quoniam illa purgat peccata. Commendari etiam alteram quæ fit ſacerdoti, quoniam docet qualiter ipſa peccata purgentur. Nec enim ipſa per ſe purgat, niſi interiori apud Deum pœnitentia roboretur.

XX. Hinc apparet quartus iſque nocentiſſimus Romanenſium error, per Concilium Tridentinum [a] ſtabilitus, ſcilicet attritionem ſolam (id eſt dolorem imperfectum de peccatis ex futuri ſupplicii metu) cum auriculari confeſſione ad juſtificationem ſufficere, ita ut per confeſſionem homo reddatur ex attrito contritus. Attamen certiſſimum eſt nullam peccatorum confeſſionem externam, nullam etiam confeſſarii abſolutionem peccatori ſufficere ad juſtificationem abſque vera in Deum converſione, & peccatorum deteſtatione & odio. Cum itaque attritio conſiſtat cum

[a] *Seſſ.* 14. *c.* 4.

amore ad peccatum, atque in profligatiſſimos quoque peccatores cadat, apparet ſane illam ad juſtificationem non ſufficere. Quod vero ejuſmodi attritio non excludat affectum erga peccata, diſerte tradit [a] Ambroſius his verbis: *plerique futuri ſupplicii metu peccatorum ſuorum conſcii pœnitentiam petunt, & cum acceperint publicæ ſupplicationis revocantur pudore. Hi videntur malorum petîſſe pœnitentiam, egiſſe bonorum. Nonnulli ideo poſcunt pœnitentiam ut ſtatim ſibi reddi communionem velint: hi non tam ſe ſolvere cupiunt quam ſacerdotem ligare.* At ſane non minus requiritur contritio ad confeſſionem ſecretam ut ſalutifera ſit, quam ad publicam; ergo ſi ad iſtam non ſufficit attritio, nec ad illam ſufficiet. Et timendum ſacerdoti eſt ſic male diſpoſitos abſolventi; ne confitentes pariter ac ipſe apud Deum ligati abeant, juxta Ambroſii dictum.

XXI. Equidem hæc doctrina per Scholaſticos abſque ullo in ſacris literis firmo fundamento invecta, latam viam aperit curvis in terram animis, ut juſtum Dei timorem pariter & amorem negligant, & vitiis diu adamatis liberius indulgere pergant, hac ſpe illecti quod per attritionem ſimul & confeſſionem penitiſſimis quibuſque facile habendam, ſubito juſtificari poſſint. Proinde doctrinæ illius praxim avidiſſime arripiunt, non ſine maximo animarum ſuarum periculo. Etenim ut peccatum admittitur per averſionem humani cordis à creatore ſuo ad creaturam per deordinatum affectum; ita juſtificatio non perficitur abſque converſione ejuſdem cordis ad Deum per dilectionem ipſius & peccati odium. Cum igitur attritio præfata hanc Dei dilectionem & peccati odium non afferat, nimis periculoſe hujuſmodi diſpoſitioni ſe quiſque commiſerit. Laudabilis quidem eſt, & omnino commendandus quilibet Dei timor, etiam ille ſervilis & in-

[a] *Ambroſ. de Pœnit. li. 2. c. 9.*

fimi

simi ordinis quem metus futuri supplicii extorquet, quatenus quoquo modo juvat ad vitanda peccata, quæ obicem ponunt divinæ gratiæ per quam elevetur cor hominis ad nobiliorem pœnitentiæ gradum; cæterum ut quis in filiorum Dei album per justificationem adeptetur, necessarius est filialis etiam timor, qui per dilectionem Dei operetur peccati odium & divinæ legis observantiam.

CAP. XXX.

De cultu reliquiarum & imaginum observationes aliquot.

I. NOn mihi animus est quæstionem immensam per innumeros ramos diffusam penitus eventilare; sed Ecclesiam reformatam à calumniis Romistarum imprimis vindicare; dein ex confusione, perplexitate, & contradictione scriptorum Ecclesiæ Romanæ, colligere quam sit periculosa ipsorum hac in re doctrina & praxis.

II. Quod ad sanctorum reliquias attinet, solemne ipsis est Juliani Apostatæ, Judæorum & priscorum hæreticorum impietatem, qui sanctorum reliquias detestabantur, Protestantibus improperare. Ab hac calumnia Ecclesiam suam, seque vindicat regum doctissimus Jacobus [a] aiens: *quod ad reliquias sanctorum, si quas ejusmodi haberem, quæ constaret sanctorum corporum partes esse, ego eas honorificis tumulis solemniter inferrem.* Merito sane addidit Rex, *quas constaret sanctorum corporum par-*

[a] *Rex Jacobus in Præfat. monitoria.*

tes esse. Fatuus fuerit qui omnia illa mortuorum ossa, quæ reliquiarum nomine Romæ & alibi venditant rerum ejusmodi nundinatores, temere colat. Nimis enim compertum est fœdissimas fraudes hac in re committi, & vulgarium cadaverum ossa sub inscriptione Laurentii, Stephani, Agnetis, Cæciliæ, & aliorum sanctorum à sacrilegis nebulonibus venundari.

III. Laudat [a] Suarez Regis zelum in eo quod sanctorum reliquias honore aliquo dignas esse censeat; in eo autem carpit, quod non religioso cultu, sed civili tantum honore tumulandas esse insinuet. At sane si per civilem honorem intelligatur is qui ob Excellentiam humanam tribuitur, non apparet quæ tanta illiusmodi excellentia claruerit in hominibus pauperculis, piscatoribus, & plebeis (quales fuerunt plures ex sanctis) ut propter illam forent *honorificis tumulis solemniter inferendi.* Æquius igitur judicasset ex religioso affectu ortum fuisse illum Regis zelum, quo nimirum Dei amicos & virtutum cultores honorandos esse duxit, juxta illud Propheticum: *Mihi autem valde honorificandi sunt amici tui Deus.* Quo etiam animo S. Ambrosius [b] Martyrum corpora à se honorari profitetur. *Honoro,* inquit, *in carne Martyris exceptas pro Christi nomine cicatrices, honoro viventis memoriam perennitate virtutis; honoro per confessionem Domini sacratos cineres. Honoro in cineribus semina æternitatis. Honoro corpus quod mihi Dominum meum ostendit diligere, quod me propter Dominum mortem docuit non timere.* Equidem ob has omnes causas censuit Rex sanctorum corpora esse honorifice habenda.

IV. Quid igitur est in sermone Regis quod Suario insinuavit, noluisse ipsum cultum religiosum tribuere sanctorum reliquiis? Nimirum quod dixerit *se reliqui-*

[a] *Suar. lib. 2. defens. c. 10.* [b] *Ambros. ser. 93. de SS. Nazario & Celso, in fine.*

arum adorationem pro intollerabili idololatria habere, & abominari. At ſane id ipſum cenſuit Hieronymus graviter expoſtulans cum Vigilantio quod per calumniam Martyrum adorationem, adeoque idololatriæ maculam Eccleſiæ impoſuerit: [a] *Quis*, inquit, *unquam, O inſanum caput, aliquando Martyres adoravit? Quis hominem putavit Deum?* At inquies, de adoratione ſtricta ſoli Deo tribuenda locutus eſt Hieronymus. Equidem de eadem locutus quoque eſt Rex Jacobus, de illa ſcilicet qua Eccleſia Romana ſanctorum reliquias ſuper altaria populo adorandas proponit, per genuflexiones, thurificationes, oblationes, &c. quem adorationis ritum ſoli Deo debitum eſſe merito exiſtimavit, ideoque ſi alteri tribuatur, non religioſum, ſed ſuperſtitioſum exiſtere.

V. Et ſane mirari ſatis non poſſum quomodo [b] Suarez dicat ſe credere, gratum eſſe ipſis ſanctis hujuſmodi cultum tribui ſuis reliquiis. An credibile eſt Paulum aut alium ex ſanctis velle calceo ſuo, aut etiam particulæ carnis vel oſſis ſui cultum tribui, quem non ſuſtinuiſſet ſibi ipſi viventi exhiberi? Equidem non niſi propter ſanctos ipſos reliquiæ eorum coluntur. Proinde reliquiis nequit eſſe debitus cultus, qui ipſorum perſonis non tribueretur. Nam *propter quod unumquodque eſt tale, & illud magis.* Porro an Paulus ſibi viventi thura cremari & oblationes ſolemnes fieri ſuſtinuiſſet, apparet ex illo ipſius & Barnabæ facto, apud Lyſtrenſes, [c] qui cum adorationis obſequium vellent ritu ſuo Apoſtolis impendere, *ipſi conſciſſis tunicis ſuis exilierunt in turbas*, clamore valido teſtantes quam erat ipſis abominabilis ille cultus. Sane ſi ad regulam iſtam à Suario indicatam res libraretur, nimirum quod ipſis ſanctis gratum videretur, non dubito quin plures ex ceremoniis erga reliquias hodie præſtitis omitterentur.

[a] *Hieron. Epiſt.* 53. [b] *Suarez ubi* n. 7. [c] *Act.* 14. 13.

Quid enim? An etiam ex mortalibus quispiam sobrius aut modestus gratum haberet, tunicam suam aut crinium particulam super altaria statui, thure & oblationibus colendam? & animæ beatæ ac ab erroribus humanis defæcatæ hoc obsequii genere delectarentur?

VI. Quoad imaginum cultum ex mari illo magno paucula delibabimus, quæ instituto præsenti sufficiant. Concilium Tridentinum rei difficultatem cernens, definitionem edidit quæ instar gladii Delphici in varios usus versari possit, & variis opinionibus circa rem hanc deserviat, infinitamque proinde opinationum varietatem peperit. Decrevit [a] *habendas & retinendas esse imagines eisque debitum honorem & venerationem impertiendam.* Interim non explicans qualis, aut quantus sit ille honor quem vellet imaginibus impertiri: de qua re, inquit Vasquez [b] *in scholis quotidie doctores disputant & cum mille modis difficultatem illius explicare conentur, nova quotidie quæstiones emergunt.*

VII. Prima sententia est, quod imago non sit ullo modo in se colenda, sed solum coram imagine colendum exemplar. Ita post alios aliquot [c] Alphonsus à Castro. Secunda sententia est quod idem honor debeatur imagini & exemplari, quoniam juxta Aristotelem lib. de Memoriâ & Reminiscentiâ, idem est motus in imaginem ut imago est, & in ipsum exemplar, ut proinde Christi imago sit adoranda cultu latriæ; B. Mariæ cultu hyperduliæ, sanctorum aliorum, cultu duliæ. Hanc sententiam secuti sunt Alensis, Aquinas, Bonaventura, Cajetanus, Capreolus & alii plurimi quos longo sensu refert & sequitur Vasquez, longissima disputatione eandem ipse confirmans, & [d] Azorius, aiens esse constantem Theologorum sententiam,

[a] *Trident. sess. 25. decret. de Venerat. imag.* [b] *Vasq. in 3. p. disp. 108. c. 1.* [c] *a Castro, verbo imago. Durand. lib. 3. sent. dist. 9. q. 2.* [d] *Vasq. in 3. p. disp. 108.* [e] *Azor. Tom. 2. instit. moral. lib. 9. c. 6.*

atque

atque à ſeptima ſynodo pariter & à Tridentina traditam, quatenus utraque docet honorem qui imaginibus exhibetur ad prototypa referri. Hujus ſententiæ patroni non uno modo eam explicant, eorum diverſos conceptus ad ſatietatem refert & refutat Vazquez diſp. 108. in 3. p. per 18. capita. Quidam dicebant quoties imagines per ſe adorantur ab exemplari diviſæ, inferiori quadam adoratione coli, etiamſi illa propter exemplar tribuatur; cum vero adorantur per accidens, conjunctæ ſcilicet prototypo tanquam aliquid illius, eadem adoratione latriæ cum ipſo per accidens adorari. Ita [a] Sanderus & alii.

VIII. Adverſus hos probat Vazquez, & quidem efficaciſſime, imagini ſecundum ſe conſideratæ, utpote rei irrationali & inanimæ, nullam adorationem & reverentiam deberi; cum enim iſta ſit teſtimonium ſubmiſſionis & ſervitutis non niſi ſuperiori præſtandum, perverſe & ſuperſtitioſe tribueretur ab homine rei irrationali & inanimæ. Cæterum imagini ſimul cum exemplari eandem omnino adorationem, adeoque imagini Dei & Chriſti latriam deberi ipſe conſtanter affirmat, ſtricte hærens illi Ariſtotelico principio, quod idem ſit motus in imaginem & in exemplar, aienſque eſſe pervulgatam & antiquam Theologorum ſententiam.

IX. At quicquid ſit de conformitate iſtius doctrinæ cum illo Ariſtotelico axiomate, non apparet quomodo cohæreat cum divino oraculo per Chriſtum Dominum adverſus Sathanam prolato Mat. 4. 10. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Si adoratio præſertim latriæ eſt teſtimonium ſervitutis, & hæc ſoli Deo exhibenda eſt, quomodo etiam imagini lignææ, aut papyraceæ licebit tribui?

X. Contra ſententiam nunc explicatam tribus pro-

[a] *Sander. de imagin. lib. 2. c. ult.* [b] *Albertus Pius, lib. 8. contra Eraſmum.*

poſi-

positionibus insurgit [a] Bellarminus. Prima hæc est: "Imagines Christi & sanctorum venerandæ sunt, non "solum per accidens vel improprie, sed etiam per se "& proprie, ita ut ipsæ terminent venerationem, ut in "se considerantur, & non solum ut vicem gerunt ex- "emplaris. Secunda propositio. Quantum ad modum "loquendi, præsertim in concione ad populum, non est "dicendum imagines ullas adorari latriâ, sed è contra- "rio non debere sic adorari. Quoniam patres septi- mæ synodi clamabant imagines esse adorandas, sed non latriâ. Tertia propositio, "Si de re ipsa agatur, admit- "ti potest, imagines posse coli improprie vel per acci- "dens, eodem genere cultûs quo exemplar ipsum coli- "tur, adeoque imaginem Christi cultu latriæ.

XI. Inter has opinationum procellas quid erit etiam acutioribus, ne dicam rudi & misello populo, credendum aut agendum? Rem expedit intrepide [b] Gabriel Vazquez, doctrinam & praxim hodiernam Ecclesiæ Romanæ his verbis describens: *Catholica veritas est imaginibus deferendam esse adorationem, hoc est signa servitutis & submissionis, amplexu, luminaribus, oblatione suffituum capitis nudatione &c.* Descripsit quidem his exacte praxim Romanæ Ecclesiæ, & quidem illam quæ reliquis cœtibus tum Christianorum, tum Judæorum & Paganorum, perpetuo & maximo scandalo est. Nunquam satis mirantur quomodo illi qui adversus idola gentium tam acerbe exclamant, ipsi idolis sive imaginibus suis eadem adorationis & servitutis signa tribuant, per genuflexionem, thurificationem, circumgestationem in supplicationibus, &c. Quod si rei asperitatem emollire contendas per subtilitates præfatas, & alias per Vazquium commemoratas, risum potius & indignationem, quam fidem dictis conciliabis. Illæ simul ac

[a] *Bellar. lib. 2. de imagin. c. 21.* [b] *Gabriel Vazq. disp. 118. tri. 3. p. c. 2. n. 10.* [c] *ibi. disp. 109. c. 1.*

doctrina

doctrina & praxis per eas commendata, gravem illam quærimoniam à ſapientiſſimo Rege Jacobo extorſerunt, teſtante ſe mirari non deſinere [a] "quod homi-"num ingenium, quæ Sathanæ fraus hoc tam audax "commentum Eccleſiæ chriſtianæ obtrudere attenta-"rit: & paulo poſt ita concludit: meditentur itaque "qui ſic in religione ſentiunt, defenſionem aliquam "quâ ſe in ultimo judicio idololatriam exprobranti "Chriſto probent, qui an tum temporis iſtiuſmodi ex-"cuſationes, ex illis argutiarum ineptiis petitas, in ſo-"lutum accepturus ſit, vehementer ambigo.

XII. Adhæc, parum defuit ne excandeſceret bonus Pater Suarius, quo gentis ſuæ fervori, ne dicam furori, in ſuis aſſerendis ritibus obſecundaret. At merito ſtatuit mitius agendum eſſe cum tanto principe. Sane infra regiam ipſius majeſtatem erat, Inquiſitionis Hiſpanicæ terroribus percelli, ne pro lege divinâ (quam certiſſime noverat iconomania illa violari) libero ore decertaret. Urgent authoritatem & conſuetudinem Eccleſiæ. Repoſuit Rex obediendum eſſe Deo potius quam hominibus; Deum vero omnem imaginum adorationem & cultum ſevere prohibuiſſe Exodi 20 4. & Deuteronomii 5. 8. in hæc verba: *non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem quæ eſt in cælo deſuper, & in terra deorſum, neque eorum quæ ſunt in aquis ſub terra: non adorabis ea, neque coles.* Fatetur Suarez præceptum hoc, quoad indebitum imaginum cultum, eſſe naturale & morale, adeoq; irrevocabile & inviolabile; at cultum ab ipſis præſtitum imaginibus negat eſſe indebitum.

XIII. Veruntamen cultum imaginibus exhibitum juxta Romanæ Eccleſiæ praxim ſuperius explicatam, indebitum, illicitum, & idololatricum eſſe, graviſſimis & luculentiſſimis argumentis demonſtratum eſt à plurimis. Quam rem nuper illuſtravit egregie vir Doctiſ-

[a] *Rex Jacob. in præfat. monitoria.*

ſimus Edwardus Stilligfleet, ſacræ Theologiæ Doctor nunc celeberrimæ divi Pauli Londinenſis Eccleſiæ Decanus. Qui libro integro prius edito oſtendit, & alio auctiori in prioris defenſionem ab adverſariorum effugiis & cavillis, perſpicue evicit, quidquid apud notiſſimos idololatras obſequii & adorationis erga idola ſua præſtitum eſt, quod ipſis idololatrarum nomen obtinuit, totum id hodie erga imagines Dei & ſanctorum exerceri per Romanæ Eccleſiæ homines. Quidquid iſti in facti ſui patrocinium obtendunt ex variis intentionum collimationibus ſuperius indicatis, id ipſum à gentium philoſophis in ſuæ adorationis tutelam fuiſſe prolatum; nec enim eos adeo obbrutuiſſe, ut ligneis aut lapideis ſimulachris propter ſe ipſa divinitatis cultum tribuere ſtatuiſſent. Porro in eo viri iſtius eximii pietatem cum inſigni eruditione conjunctam non poſſum non commendare, quod ad calcem poſterioris ſui libri ſancte teſtetur ſe nihil in tota iſtius concertationis ſerie protuliſſe quod non ſerio exiſtimaſſet ſacræ ſcripturæ & primitivæ Eccleſiæ chriſtianæ, adeoque Anglicanæ ſenſui conſonum eſſe. Atque ſi quod adverſariorum argumentum ipſi commonſtraſſet ſe hac in re à vero deviaſſe, paratum exiſtere quam tulerat adverſus Romanæ Eccleſiæ doctrinam & praxim idololatriæ cenſuram, tam libero ore retractare ac eam aliquando protulit.

XIV. Quantum ad me attinet, cum magnæ iſtius controverſiæ ſeriem pervolvo, fateor ingenue me vehementer cruciari. Hinc enim non niſi illubentiſſime ſtatuo fratres meos Romanæ Eccleſiæ de Idololatriæ crimine peſſimo acuſare; quorum ſcilicet plurimos ſaltem ſat ſcio innocentiſſimo animo ritui dudum invaleſcenti, & per inſtitutionem ſuam ipſis commendato obtemperare, ab idololatria interim toto animo abhorreſcentes. Inde non poſſum non animitus dolere & palam improbare, quod Eccleſia celeberrima,

&

& multis chriſtianæ pietatis ornamentis cæteroqui illuſtris, hoc facto ſe infamem & odioſam circumſpectanti orbi reddat, graviſſimum ſcandalum præbeat, & obſtaculum maximum ponat aliarum Eccleſiarum reconciliationi cum ipſa; quatenus hac in re doctrinam urget & praxim imponit, quæ Dei verbo & præcepto apparet adeo ex diametro oppoſita; quicquid importune comminiſcantur circa vocabuli Ethymon, quo praxim iſtam à formalis idololatriæ labe vindicent. Id namque certiſſimum eſt in Eccleſia tum veteri tum chriſtiana ſigna quædam externa cultus ſoli Deo debiti extitiſſe, penes quorum exhibitionem fideles ab infidelibus diſcriminarentur; nec enim Eccleſia judicat de occultis. Porro inter illa ſigna præcipuum locum obtinuiſſe thuris incenſionem, ex utriuſque Eccleſiæ actis manifeſtum eſt. Hæc fuit Iſraelitarum idololatria quam damnavit Rex Ezechias ſerpentum æneum confringens, quoniam [a] *adolebant ei incenſum*, quocumque demum animo id egerint. Id ipſum damnavit Concilium Ancyranum, celebratum anno Chriſti 314. in *thurificatis* ſic dictis, quod ſuppliciorum metu thura obtuliſſent idolis, licet abſque animo ea adorandi. Si dicas hos ob ſcandalum facto illo datum, fuiſſe caſtigatos, reſpondeo, ſcandalum etiam maximum hodie præberi per id genus obſequii imaginibus impenſum: cur ſaltem ob ſcandalum datum non omittatur hæc praxis, nulla præſertim neceſſitate, nullo Concilio Evangelico nedum præcepto ad eam urgente?

XV. Inter Armenorum & Jacobitarum hæreſes refert [b] Nicephorus Calixtus quod divinæ Trinitatis imagines confinxerint, *quod perquam abſurdum eſt*, inquit ipſe. Graviori nota rem inuſſit Damaſcenus [c] aiens: *inſipientiæ ſummæ eſt & impietatis, figurare quod eſt*

[a] 1 *Reg.* 18. 4. [b] *Nicephor. lib.* 8. *c.* 23. [c] *Damaſcenus lib.* 4. *c.* 15. *ante med.*

divinum. At hujus inſipientiæ non pudet Romanæ Eccleſiæ homines, divinæ Trinitatis varias figuras effingentes, nunc hominis grandævi, alterius junioris, & columbæ; nunc unius hominis tricipitis, vel trinam faciem in eodem capite gerentis, horrendo plane ſpectaculo. Quam præclaram inde numinis ideam mente retulerit attonita plebecula? Quam gratum fuerit Deo ſic ipſius naturam & faciem tam falſa adumbratione corrumpere; *quod nemo,* (inquit optime [a] ſereniſſimus Rex Jacobus) *non dico princeps, ſed vix quiſpiam homo plebeius in ſua effigie ferre ſuſtineat.* Si illud eſt imperitis imago, quod doctioribus ſcriptura, ut dicebat Gregorius Magnus, quantæ amentiæ eſt Deum pingere, qualem eum nemo ſanæ mentis verbo aut ſcripto exprimere auderet?

XVI. Inter errores Eccleſiæ Romanæ circa cultum imaginum annumeravit Rex Jacobus quod illis ſupplicationes fiant. Negat [b] Suarez talem conſuetudinem eſſe in illa Eccleſia, aut per illam approbari, imo per Concilium Tridentinum declarari *quod non ſit ab iis aliquid petendum.* At vero cujus demum verba ſunt illa ad crucem dici ſolita in Dominica paſſionis (nam eadem eſt ratio de cruce & aliis imaginibus quoad rem hanc)

O crux ave, ſpes unica
Hoc paſſionis tempore;
Auge piis juſtitiam
Reiſque dona veniam.

Mirum eſt quod hujus rei non meminerit Suarez. Quidam dicunt præfata verba Eccleſiæ quidem eſſe, verum non ad crucem, ſed ad Chriſtum dicta. Contra fatetur Azorius verba illa ad ipſam crucem dirigi: *Eccleſia,* inquit, *cum crucem veneratur & colit, eam ſalu-*

[a] *Rex Jacob. ibi.* [b] *Suar. ibi. c. 6. n. 5.*

tat

tat & alloquitur, cum ait, O crux Ave &c. Et ſane quæ ſubſequuntur in illo hymno, non niſi de ipſa lignea cruce intelligi valent. *O crux fidelis inter omnes: arbor una nobilis.*

XVI. Aliunde [a] Vazquez ingenue profitetur ſe non videre quomodo ad crucem ipſam ligneam dirigi valeant priora illa verba *Ave &c.* nam, inquit, *quamvis per figuram Proſopopeiam ſæpius cum re inanimata loquamur, inepte tamen, etiamſi figurate, ab ea peteremus ſalutem & gratiæ augmentum.* Quare ut rei abſurditatem aliquali umbra obtegat, ſtatuit ipſe duas figuras admittere, nempe in prioribus verbis Metonymiam, ut crux pro Chriſto accipiatur, ſicut continens pro contento. In reliquis vero Proſopopeiam poëtis & oratoribus familiarem, qua ad res etiam inanimatas ſermonem aliquando dirigunt.

XVII. An vero putas hæc figurarum conglomeratio liberabit imaginum cultores per hujuſmodi ſupplicationes ad ipſas, ab illa inſaniæ nota qua idololatram denigrat [b] Sapiens: nempe eum qui *non erubeſcit loqui cum illo qui ſine anima eſt. Et pro ſanitate quidem infirmum deprecatur: & pro vita rogat mortuum; & in adjutorium inutilem invocat: & pro itinere petit ab eo qui ambulare non poteſt &c.* An æquum eſt ut pro re tam lubrica, inani & obſcura, tam male ab idololatriæ & inſaniæ labe tecta, bellum interminabile cum orbe reliquo chriſtiano gerant, & dira odia foveant viri cordati?

[a] *Vazq. diſp. 3. in 3. p. c. 4.* [b] *Sapient. 13. 11.*

CAP. XXXI.

Concluditur ex dictis quam immerito Romana Eccleſia pacem & unionem reſpuat cum reliquis chriſtianis Eccleſiis, præſertim vero cum Anglicana. Et qualiter ſi quæ Dei tantum ſunt quærantur, pax & proſperitas reſtitui poſſit orbi chriſtiano.

I. NOn erat inſtituti mei controverſiarum omnium, quæ hodie agitantur, ad faſtidium cordatiorum hominum, univerſam molem hac ſcriptione complecti; verum illas tantum diſcutere, quæ præcipua obſtacula pariunt Eccleſiarum pacis & unionis; ſed neque etiam per iſtarum cunctos ramos & ſurculos indies ſuccreſcentes excurrere; at earum quaſi animam ipſam & medullam extrahere, & breviori, perſpicuo tamen diſſerendi ordine, ob oculos legentium ponere; ut iis introſpectis appareat quam immerito ob has & ſimiles lites, tam dira bella gerat, & odia implacabilia foveat Romana adverſus reliquas omnes chriſtianas Eccleſias.

II. Porro inter controverſias iſtas odiorum genitrices illa mihi ſemper præcipua viſa eſt (utpote quæ reliquas fere omnes ſub ſe complectitur, aut ſecum trahit) qua diſquiritur num extra communionem Eccleſiæ Romanæ poſſit quis obtinere vitam æternam. Pars negativa quæ per Eccleſiæ illius homines paſſim docetur, ſemen poſuit, nec ponere mittit infauſtis jurgiis & bellis quo ſe chriſtiani populi invicem lancinant.

Po-

Proinde totis viribus in eam curam incumbi, ut lectori cuipiam præjudiciis non occæcato manifeſtum fiat, quam ſine ullo probabili fundamento dogma illud pernicioſum adſtruatur. Quo ſcilicet ablegato, ut ſane ablegari tandem debuiſſet, mitius lites ſuas tractarent diſſidentes cœtus, ſeinvicem ſedatius audirent, intimius noſcerent, atque adeo agnoſcerent non ita feram eſſe apud adverſarios rerum faciem, ac ipſis hactenus per infidos nuncios depicta eſt, ut pluribus exemplis commonſtravimus in iſtius tractatiunculæ ſerie; ſed proh dolor ita ſunt comparati nonnulli, ut nolint omnino videri quod recte ſentiant ii quibus diſſentire ſemel ſtatuerunt. Ideo omni curâ ſatagunt ut quicquid eorum cauſam æquam reddat, ab omnium oculis amoveatur. Quod ſane iniquum eſt, & rei iniquæ per ipſos aſſertæ conſpicuum argumentum.

III. Prioris illius dogmatis fætus ne dicam, an parens eſt alterum de Monarchica & deſpotica poteſtate Romani Pontificis ſupra univerſum hominum genus ſuperius deſcripta c. 2. hujus tractatus. Sane poteſtatis iſtius cupido doctrinam priorem peperit, qua ſcilicet terrore pœnarum gehennæ conantur univerſos ad Pontificis ſui obſequium cogere. Porro eam etiam doctrinam hoc potiſſimum argumento ſtabiliunt, quod obedientia Romano Pontifici, ceu Dei vicem in terris gerenti, præſtanda ſit ad ſalutem æternam prorſus neceſſaria. Porro quam ſine ullo fundamento juris vel divini, vel eccleſiaſtici veteris, hæc poteſtas aſſeratur, abunde oſtenſum eſt c. 12, & 13. iſtius tractatus.

IV. Cardinalis Baronius cum per longam annalium ſuorum ſeriem, ad id potiſſimum inſtitutam, omnibus modis, & conquiſitis undique per quævis topica argumentis, curaſſet monarchicam iſtam Pontificis Romani poteſtatem ſtabilire, timuiſſetque merito fruſtra id moliturum ſe per argumenta à jure divino ſumenda,

ad

ad humanum confugit, nempe vel donationis, ſubmiſſionis, oblationis, tributorum ſolutionis, mulctationis, vel præſcriptionis &c. Per harum legum aliquam aut plures contendit dominium fere omnium regnorum Europæ, etiam temporale olim tranſiſſe in Romanum Pontificem, ſcilicet Hiſpaniæ, Galliæ, Sardiniæ, Siciliæ, Italiæ, Poloniæ, Daniæ, Bohemiæ, Hungariæ, Angliæ, denique Hyberniæ &c. Quod ad Indias orientis & occidentis attinet, quas Alexander 6. vir bonus & munificus inter Ferdinandum Caſtellæ & Joannem Luſitaniæ Reges, per ſuas bullas ex æquo diſtribuit, eiſque in perpetuum donavit, cum ad id faciendum nullum jus humanum comperiſſet Baronius, ad divinum tandem recurrit, quo liceat Pontifici tum de illis regionibus, tum de aliis Africæ & Aſiæ, terræ etiam auſtralis incognitæ, totius denique terreni orbis pro libito diſponere.

V. Equidem illud ſatis notum eſt Pontifices Romanos per varias artes, donationes, ſubmiſſiones, tributorum ſolutiones, à variis regnis extorſiſſe, puta ab Anglia, Dania, & aliis. At etiam notum eſt Angliam, Daniam &c. libertatem ſuam priſtinam dudum aſſeruiſſe, & per centum aut plures annos retinuiſſe, Pontificio excuſſo jugo, ut ſaltem præſcriptionis jure libertatem eandem deinceps merito retineant. Alii ſeculi principes haud nimis ægre ferunt varia ipſorum dominia per varias rerum vices in alios tranſiſſe, conſcii ſcilicet per juſtam numinis providentiam, piis omnibus colendam, regna & Imperia ab aliis in alios transferri; unus Romanus Epiſcopus huic divinæ providentiæ renuit acquieſcere, ut quod ſemel aſſumpſit aliquando dimittat, vel amitti æquo animo ferat?

VI. At contendunt jure prædicationis Evangelicæ dominium in hæc regna obtinuiſſe. Gregorius Magnus viros Apoſtolicos in Angliam ſubmiſit qui eam à paga-

paganiſmi tenebris eruerunt, & fidei orthodoxæ lumine illuſtrarunt. Proinde Angliæ Apoſtolus eſt dictus. Gaudeat ſane æternum in cœlis vir optimus facinoris illius præmio & gloria. Cæterum alii qui titulo ſucceſſionis in ipſius ſede Apoſtoli etiam Angliæ dici volunt, utinam veros Apoſtolos ſe exhibeant, & Pauli Apoſtoli veſtigia premant. Ipſe quoque ad Chriſtum duxit Corinthios: [a] *nam in Chriſto Jeſu*, inquit, *per Evangelium ego vos genui*: tamen ubi ad chriſtianam diſciplinam adoleverunt, haud ægre tulit, imo optavit ut ipſi ſibi ſaperent, ſeque regerent. *Jam ſaturati eſtis*, inquit, *jam divites facti eſtis, ſine nobis regnatis, & utinam regnetis, ut & nos vobiſcum regnemus.* Regnemus ſane nobiſcum boni iſti Apoſtoli, ſed ſi Apoſtolice velint agere, ne ſic pervicaciter contendant ſuper nos regnare. Si Evangelicam doctrinam velint inter gentes Apoſtolorum more feliciter proſeminare, vocem illam Apoſtolicam vere nobilem pleno ore proferant: [b] *non quærimus veſtra ſed vos.* Sic tamen ut dictis facta conſentiant. Non bonis laut terris inhient. Non alium Dominum præter Chriſtum obtrudant hoſpitibus; non aliud quam ipſius jugum imponant. Sed proh chriſtianæ rei dedecus & damnum maximum! Qui hodie Chriſtum inter Indos & alios annunciant, Papam Romanum æque prædicant, amplam illam & tremendam poteſtatem capite ſecundo iſtius libri deſcriptam buccinant. Quid ni formident reges & populi ſic grave onus, & jugum ita aſperum ſuis humeris imponi? quid ni Japoniorum ſagax natio horum initia cernens, & deteriora ſubolens, jactum inter ipſos Evangelii ſemen radicitus extirpaverint? Eorum Imperator videns principes ſibi ſubditos, ubi Chriſto nomen dederant, Romam duci obedientiam præſtantes extraneo principi, quid ni timeret in ipſius perniciem id demum

[a] *1 ad Corinth. c. 4. v. 15.* [b] *2 ad Cor. c. 12. v. 14.*

ceſſurum, & tot ipſum ſubditos amiſſurum quot Romanus Epiſcopus adquireret, qui nimirum ad illius Epiſcopi nutum, adverſus ipſum erant quopiam quæſito colore inſurrecturi.

V. Quid ſi prævidit fore ut ipſi aliquando contingat, quod Hiſpaniarum Regi accidiſſe cernimus, ut pars longe maxima regnorum ipſius in clericorum & cœnobitarum varios ordines abeat, quorum tam bona, quam perſonæ, etiam famuli ad infimos lixas, extra regis poteſtatem fiant, quo ipſi nec vires nec viri ſuppetant ad jus ſuum tuendum, & hoſtium vim propulſandam.

VI. Quid denique ſi noviſſet plurimorum Imperatorum & regum infandas tragœdias & ſtrages ſub variis Pontificibus, ſive Henrici 4. & Henrici 5. Imperatorum Germaniæ ſub Gregorio 7. ejuſque ſucceſſoribus Victore, Urbano, Paſchali, ſive Joannis Angliæ regis ſub Innocentio 3. ſive Friderici 2. Imperatoris ſub Gregorio 9. ſive Philippi pulchri Galliarum regis ſub Bonifacio 8. ſive Imperatoris Ludovici Bavari ſub Joanne 22. Benedicto 12. & Clemente 6. ſive Ludovici 12. & Joannis Albret Galliarum & Navarræ regum ſub Julio 2. ut interim omittam Pauli 3. fulmina & feros conatus ad Henricum 8. Angliæ regem opprimendum & è ſolio deturbandum, & Pii 5. adverſus reginam Elizabetham. Quid, inquam, ni hæc omnia deterreant quemlibet principem liberum, ne ſic formidandæ poteſtati ſe ſubmittat.

VII. Si igitur Pontifici Romano animus eſſet Chriſti imperium potius quam ſuum propagare, ſi quæ ſurſum quæreret non quæ ſuper terram, à tanta poteſtate vindicanda & exercenda abſtineret, Miſſionariis ſuis præciperet, nedum permitteret, unum Dominum Jeſum populis prædicare; ita Evangelica doctrina de ſe graviſſima & ſanctiſſima cunctis grata foret, & orbem

totum brevi illuminaret; Eccleſia univerſa beata frueretur tranquillitate & pace.

VIII. Poteſtatis iſtius Pontificum immenſæ alterum opus eſt, novos fidei articulos præter, imo & contra, Chriſti doctrinam ſubinde cudere, quales vidimus eos eſſe circa tranſubſtantiationem, dimidiatam communionem, & imaginum adorationem editos. Porro quicquid forte ſtatuerint, id nunquam immutare, quantumvis appareat divinæ legi & rectæ rationi evidenter diſſonum. Quod Chriſtus inſtituit id facile evertunt, ut viſum eſt circa communionem ſub utraque ſpecie laicis prohibitam: quod autem Pontifex decrevit, id perpetuo fixum eſſe oportebit. Porro valde notandum eſt hoſce nuperiores articulos, qui hodiernis diſidiis fomitem præbent, ipſis corruptiſſimis Eccleſiæ ſeculis invectos eſſe, peſſimis Cæſaribus, & non optimis Pontificibus eorum ortui obſtetricantibus; barbarie etiam & ſpiſſa ignorantia toti Europæ inſidente, quæ ſplendorem abſtulit cunctis bonis diſciplinis, ut ex incorruptiorum annalium ſerie liquet. Reliquæ facultates, inclareſcente literarum & melioris ævi lumine, præſtinam dignitatem & rectitudinem ē poſtliminio recuperarunt; unæ Pontificum leges rudi & barbaro hominum generi olim obtruſæ, mutari non ſuſtinebunt, & excultiſſimi ſeculi hominibus per vim imponentur? Quam fruſtra id contendant ſatis expertum eſt. Æquum foret ut ab irrito molimine tandem deſiſterent.

IX. Quis æquo animo ferat quod antiquitatis venerabile nomen his ſuis novitiis articulis imponant, & novitatis arguant reformatos, quod antiquiorem Eccleſiæ chriſtianæ faciem hominibus oſtendant. Non erubeſcunt hoc ipſum novitatem appellare, ſi quæ antiquiſſima ſunt eligas, poſthabitis iis quæ apud ipſos per aliquod temporis ſpatium in conſuetudinem abierunt.

Id expreſſe profitetur Joannes [a] Maldonatus Proteſtantes ſcriptores ſupercilioſe reprehendens quod novitatem in antiquitate exerceant, id eſt quod antiquiſſimos patres ſectentur in explicatione verborum illorum Joannis 1. *In principio erat verbum*; poſthabito nuperiorum interpretamento, quod dudum invaluit. Sed quid minoribus exemplis in hujus rei teſtimonium utamur? An non Concilium Conſtantienſe valide conclamat antiquorum patrum & Eccleſiæ authoritatem pro extirpanda conſuetudine communionem laicis præbendi ſub utraque ſpecie, ſimul agnoſcens eandem conſuetudinem fuiſſe à Chriſto inſtitutam, & ab antiquiſſimis Eccleſiæ primitivæ patribus uſurpatam?

X. At quod tandem erit tantorum malorum & tot ex iis naſcentium ſchiſmatum remedium? Equidem non tam promptum mihi eſt illud aſſignare, quam vehementer optare, & Deum ardenter precari uti aliquod demum provideat. Libet tamen magnæ Britaniæ ſereniſſimi & ſapientiſſimi Regis Jacobi votum pro Eccleſiarum pace & felici unione ſuis ipſius verbis proferre. Quis enim de ea re judicium aptius ferat quam Rex maximus è magni Imperii ſolio, veluti ex ſpeculâ rerum hominumque conditionem circumſpiciens. Is itaque ſic fatur: [b] *Si ſpes ulla aut expectatio ſupereſſet poſſe Chriſtianos omnes ad aliquem in religione conſenſum adduci, id eſſet à generali Concilio expectandum, indicto in commodum nec ſuſpectum locum conventu, ubi Chriſtiani omnes principes aut ipſi aut per legatos poſſent adeſſe; & Eccleſiaſtici omnes qui Chriſtianam religionem profitentur, illiſque veteribus veræ antiquæ, catholicæ & Apoſtolicæ fidei fundamentis adhæreſcunt, tutum acceſſum & commeatum haberent, incendiariis utrinque furioſis ac novitiis, ſive Jeſuitis ſive puritanis, excluſis.*

[a] *Maldonat. in 1 Joan.* [b] *Rex Jacobus in Præfat. monitoria, ante finem.*

XI. Sane non is ego ſum qui adverſus aliquem hominum cœtum generatim ſumptum judicium ferre aut debeam aut velim; cæterum bonis omnibus optandum puto, ut ſi qui ſunt ejuſmodi *incendiarii & furioſi*, qui Eccleſiarum diſſidiis adeoque excidiis delectentur, quocumque demum nomine denotentur, illi à tali concilio & omni hominum regimine procul arceantur; adhibeanturque viri mites, prudentes ac pii, quibus ſtudium ſit quærere primum regnum Dei & juſtitiam ejus, nec propter aliqua breviſſimæ vitæ commoda à veritatis recto tramite deflectere.

XII. Porro quibus modis lites iſtæ funeſtæ componi, & Eccleſiæ chriſtianæ ad diu optatam unionem reduci queant, illuſtri documento oſtendit idem rex prudentiſſimus, & pacis chriſtianæ avidiſſimus, in Epiſtola ejus nomine ad Cardinalem Peronium ſcripta per Iſaac Caſaubonum cujus hæc ſunt verba. "Rex arbitratur re-"rum abſolute neceſſariarum ad ſalutem, non magnum "eſſe numerum. Quare exiſtimat ejus majeſtas nullam "ad ineundam concordiam breviorem viam fore, "quam ſi diligenter ſeparentur neceſſaria à non neceſ-"ſariis; & ut de neceſſariis conveniat omnis opera in-"ſumatur: in non neceſſariis libertati Chriſtianæ locus "detur. Simpliciter neceſſaria Rex appellat, quæ vel "expreſſe verbum Dei præcipit credenda faciendave, "vel ex verbo Dei neceſſaria conſequentia vetus Eccle-"ſia elicuit.--Si ad recidendas controverſias hæc di-"ſtinctio adhiberetur, & jus divinum ab eccleſiaſtico "ſeu poſitivo candide ſepararetur, non videtur de iis "quæ ſunt abſolute neceſſaria inter pios & moderatos "viros, longa aut acris contentio futura. Nam & pau-"ca illa ſunt, ut modo dicebamus, & fere ex æquo o-"mnibus probata, qui ſe Chriſtianos dici poſtulant. Si hæc obſervarentur, cito evaneſcerent ſchiſmata, & pax beata orbi Chriſtiano reſtitueretur.

XIII. Equidem ex iis quæ in hoc opuſculo, & in aliis Anglicano idiomate à nobis editis, dicta ſunt, conſpicuum eſſe mihi videtur articulos illos qui hodiernis diſſidiis materiam præbent, & Eccleſiarum unioni obicem ponunt, non eſſe de neceſſitate ſalutis hominum æternæ. Scilicet infallibilitatem Pontificis Romani in decretis condendis, & divinis ſcripturis explicandis, ſupremam ipſius in omnium Chriſtianorum Eccleſias & animas poteſtatem, tranſubſtantiationem Euchariſticam, dimidiatam communionem, panis Euchariſtici, reliquiarum & imaginum adorationem, Liturgiam lingua populis non intelligibili celebratam, Indulgentiarum & Purgatorii doctrinam &c. Hæc inquam omnia neque ex divina ſcriptura, neque ex traditione Apoſtolica, neque etiam ex definitione alicujus ex 4. aut 6. primis œcumenicis Conciliis conſtare manifeſtum eſt. Humanas tantum & Eccleſiaſticas ſanctiones eſſe; cur omnibus hominibus ceu divinæ leges per vim imponantur?

XIV. Ut de aliis chriſtianiſmi cœtibus mihi non ita notis nunc taceam, ſane mirari ſatis non poſſum cur tam implacabile bellum gerant Romanæ Eccleſiæ homines cum Anglicana Eccleſia; quæ nimirum cum ipſis conſentit, non tantum quoad ſubſtantialia fidei & doctrinæ per Chriſtum & Apoſtolos traditæ, ſed etiam quoad eccleſiaſtici ordinis hierarchiam & decus. Quod ſi aliqua eſt in ritibus diverſitas, non illa tanta eſt, ut non majorem ferat Eccleſiæ Romanæ prudentia inter varios ſuorum hominum ordines. Qui Eccleſiam cathedralem Salmanticenſem, & poſt Oxonienſem ſacra peragentem cerneret, non tantam inter illas veſtium aut ceremoniarum differentiam videret, ac inter Jeſuitarum, Dominicanorum, Franciſcanorum, Carthuſienſium aut Ciſterſientium Eccleſias. Mihi quidem non ſanæ mentis eſſe videtur, qui ob hujuſmodi

modi ritus grave bellum cum Eccleſia aliqua gerendum eſſe putet, qui nimirum pro locorum, & temporum ratione varii eſſe ubique conſueverunt. Eſto, unicuique acquieſcendum omnino ſit ritui apud illam Eccleſiam recepto cujus eſt membrum, pacis & obedientiæ erga præpoſitos ſuos jure, ni turbulentus eſſe velit, atque eo nomine, per magiſtratus merito plectendus.

XV. Quod ad opinionum varietatem in rebus adiaphoris & quæ ad ſcholaſticas exercitationes ſpectant, non minoris inſaniæ res eſſe videtur quod alii in alios ſic atrociter ſæviant. Si ſe mutuo penitus audirent, & intimius noſcere ſuſtinerent, comperirent vocum magis quam rerum lites eſſe plerumque quas ſic animoſe inſtituunt. Cujus rei unum aut alterum documentum proferam in capite ſequenti, præter alia ejuſdem generis in decurſu iſtius tractatus exhibita, quibus apparuit ex ignoratione rerum Anglicanæ Eccleſiæ ortum habuiſſe graviores aliquot cenſuras adverſus ipſam latas per Romanæ Eccleſiæ Doctores.

CAP. XXXII.

Ex controverſiis circa prædeſtinationem divinam & mandatorum obſervationem agitatis oſtenditur ignorationem doctrinæ per adverſas partes traditæ, earum diſſidia fovere & pacem Eccleſiarum perdere.

I. ANtiquum illud eſt, & nimis uſitatum, ut incaleſcentibus inter partes aliquas diſſidiis & jurgiis aliæ alias ultra rectum accuſent, & fictis criminibus onerent;

nerent; odio (virulento ſcilicet affectu) omnia in deterius flectente, & ex illis ipſis figmentis ſuis incrementum ſubinde capiente. Hujus rei luculentam imaginem deſcriptam habemus apud Socratem ſcholaſticum, qui cum Græcorum patrum infeliciſſima diſſidia enarraſſet, nocturnæ pugnæ ſimilia eſſe dixit, adeo cæco impetu decertabant: [a] *Neque enim utrique*, inquit, *ſatis intelligere videbantur, cur ſeſe invicem calumniis oppetere inſtituiſſent: etenim qui conſubſtantialis vocem averſabantur, Sabellii & Montani dogma ab iis qui vocem illam probabant induci arbitrabantur. Atque idcirco impios illos vocabant, utpote qui filii Dei exiſtentiam tollerent. Contra vero illi qui conſubſtantialis vocem tuebantur, cum multorum Deorum cultum adverſarios introducere cenſerent, eos tanquam ſuperſtitionem Gentilium invehentes averſabantur. Et Euſtathius quidem Antiochenus Epiſcopus Euſebium perſtringit tanquam eum qui Nicænam fidem adulteraret. Euſebius vero ſe quidem à Nicæna fide nullatenus ait diſcedere: Euſtathium vero criminatur tanquam dogma Sabellii adſtruentem. His de cauſis ſinguli Epiſcopi velut contra adverſarios ſcriptis voluminibus decertarunt. Et cum utrique dicerent filium Dei propriam perſonam atque exiſtentiam habere, Deumque in tribus perſonis unum eſſe confiterentur, tamen neſcio quo pacto nullatenus inter ſe conſentire potuerunt, nec ulla ratione quieſcere ſuſtinuerunt.* Neque vero aliquando quieverunt, donec turbulentia ſua ſeipſos à ſedibus, & Cæſares Chriſtianos à ſolio Orientalis Imperii exturbarunt, locumque fecerunt Turcis & barbaris, ut univerſum occuparent.

II. Hæc longiuſculâ verborum Socratis exſcriptione commemoravi, ut tremendo exemplari ob oculos poſito, mittant tandem noſtrates ſimili quæſtionum vanitate delectari, & ſimilibus iniquis cenſuris adverſus partem oppoſitam debacchari, ne ſibi rebuſque ſuis ſi-

[a] *Socrat. lib.* 1. *c.* 23.

mile

mile demum exitium accerſant. Porro aſſimile iniquarum accuſationum crimen per adverſantes invicem partes hodie commiti duobus exemplis nunc oſtendam. Primum eſto circa prædeſtinationem divinam, ipſam ſcilicet altitudinem divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei, quam ingenii ſui ſcrutiniis attingere irrito, æque ac audaci, molimine contendit humana vanitas. Solemne eſt Pontificiis Proteſtantes accuſare, eos præcipue quos Calviniſtas vocant, quod circa prædeſtinationem divinam, doctrinam tradant deſperationis plenam, liberi hominum arbitrii, & bonorum operum ſtudii everſivam. Scilicet ante ulla hominum prævisa opera bona malave, alios ad gloriam, alios multo plures ad pœnam æternam æterno ſuo & ineluctabili decreto, ex me ro ſuo beneplacito deſtinaſſe; ita ut nec illi felicitatem æternam amittere, nec iſti eam obtinere ulla ratione unquam potuerint. Ideo Deum prædeſtinatis tantum dediſſe Chriſtum redemptorem, reprobos vero ſine redemptore reliquiſſe, utpote jam pridem morti deſtinatos; eos nunquam vocari ad fidem, niſi ut plurimum vocatione externa, nunquam habuiſſe auxilia gratiæ ſufficientia quibus ſalvari poſſint etſi velint; eos à Deo incitari & impelli ad peccandum ut damnari valeant, nec ullum unquam peccatum ipſis remitti. Porro Deum non tantum imperare Sathanæ, eumq; impellere, ut homines ad peccandum inducat, ſed etiam ipſum operari in mentibus impiorum hominum ea omnia quæ dicuntur & ſunt vere peccata. Hæc & plurima his ſimilia Calviniſtis improperant Becanus (in opuſculo quod inſcribit) *De deſperata Calviniſtarum prædeſtinatione*, [a] Bellarminus, & alii paſſim.

III. At quidquid ſit de privato quopiam ſcriptore aut paſtore, ſane ordines Hollandiæ & Weſt-friſiæ ſuæ ditionis Eccleſias ab hujuſmodi dogmatum invidia vin-

[a] *Bellar. lib. 2. de amiſſ. grat.*

dicare curarunt publico decreto edito, Anno 1614. quo paſtoribus imperatur ut populo & ſingulorum animis infigant; *Nullos à Deo omnipotente homines ad damnationem creatos: nullis à Deo peccandi neceſſitatem imponi; neque à Deo ad ſalutem invitari quemquam, cui ſalutem omnino non dare decreverit.*

IV. Ex altera parte vulgaris eſt plurium cenſura adverſus Pontificios, quod Pelagium ſecuti doceant poſſe hominem ſolis arbitrii ſui liberi viribus divina mandata ſervare, & cætera præſtare quæ ad ſalutem æternam conducunt. At Concilium [a] Tridentinum, poſt [b] Milevitanum & [c] Arauſicanum hunc errorem ejuravit, definiens neminem credere & perſeverare, uti ad ſalutem requiritur, poſſe abſque divinæ gratiæ auxilio per Chriſtum.

V. Porro non tantum inter Pontificios & Proteſtantes, ſed etiam inter utriuſque partis varios cœtus acerrimæ extiterunt circa rem hanc controverſiæ. Id abunde teſtantur Dominicanorum cum Jeſuitis, Remonſtrantium cum anti-Remonſtrantibus notiſſimæ & acerbiſſimæ diſſentiones. Dominicani Jeſuitas Pelagianiſmi, hi Dominicanos Calviniſmi accuſant. Anti-Remonſtrantes Jeſuitiſmum & Pelagianiſmum Remonſtrantibus improperant: Hi contra illis Stoicorum & Manicheorum errores tribuunt. Nolo omnino poſt aliquam ex adverſantibus partem in profundum hujus immenſi abyſſi nunc immergi. Tantum aliqua obſervare quæ nimium præcipites cenſores moneant, quantopere expediat hac in re juxta Apoſtoli præſcriptum, [d] *non plus ſapere quam oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem.*

VI. Abunde ſibi ſapere videntur qui electionem prædeſtinatorum ad gloriam ante ipſorum prævila merita

[a] *Tridentin. ſeſſ. 6. c. 5, 6, & 13.* [b] *Milevit. can. 5.* [c] *Arauſican. can. 4, 5, 6, 7, & 8.* [d] *ad Rom. 12. 3.*

adſtru-

adſtruentes, & reprobationem poſitivam impiorum ad pœnas æternas ante eorum prævisa ſcelera ceu horribilem & execrabilem averſantes; [a] interim admittunt reprobationem negativam eorundem ſic antecedentem; qua ſcilicet Deus pro ſigno rationis quo prædeſtinatos elegit ad gloriam ante ipſorum prævisa merita, pro eodem non elegit ita reprobos, ceu mavis id fieri per ſuſpenſionem actus, ceu per actum poſitivum, quo voluit Deus non eligere reprobos. Reprobatio autem poſitiva illis eſt, qua vult Deus efficaciter excludere hos homines vel Angelos determinate à gloriâ, & æternum damnare,

VII. Quidquid ſit de veritate intrinſeca deſcriptæ nunc doctrinæ, rogo ecquod tandem ſolaminis ſolidi afferat miſeris damnatis ſive damnandis? Quid intereſt Judæ num pro illo æternitatis ſigno quo Deus Petrum elegit ad gloriam, Judam excluſerit per actum poſitivum aut negativum, ſive per omiſionem actûs poſitivi eligentis ipſum ad gloriam. Nec enim animabus immortalibus poſt ſolutionem à corpore alia reſtat in æternum manſio, niſi vel cœlum vel gehenna. Unde quæ in cœlum non adſiſcuntur, in tartara demum truduntur. Atque ibi tam arctis vinculis æternum ligantur, ſi forte per reprobationem negativam paulo ante deſcriptam eo devenerunt, ac ſi per poſitivam deveniſſent.

VIII. Denique non alii forte magis ſibi ſapere videntur quam [b] qui putant immenſam hujus rei difficultatem complanari, & divinam prædeſtinationem cum humana libertate ſuavi fœdere necti beneficio *ſcientiæ mediæ*, jam ſatis ſcholis notæ, atque ita dictæ pleriſq; (nam etiam circa dictionem lites ſunt) quod inter ſci-

[a] *Aquinas, Scot. Bellar. Suar. Vazq. Molina, Valentia, Arrubal, & alii apud Franciſcum de Lugo diſp. 44. in 1. p. c. 2. n. 8.* [b] *Molina, Fonſica, Suarez, Vazq. & alii plurimi apud Sheol. in Apolog. pro ſcient. media.*

entiam ſimplicis intelligentiæ, quæ eſt circa poſſibilia, & ſcientiam viſionis quæ eſt circa actu exiſtentia vel extitura, media jacet, veſaturque circa illa quæ nec ſunt poſſibilia tantum, nec abſolute, ſed ſub conditione futura, qualis eſt converſio Tyriorum ſub conditione prædicationis Chriſti apud ipſos. Præterea ſupponunt Deum omnibus hominibus præbere auxilia ſufficientia ad divina mandata ſervanda, & vitam æternam obtinendam, de ſe quidem indifferentia atque per liberum hominis arbitrium determinanda ut efficacia ſint vel fruſtranea.

IX. Ex quibus duobus ſuppoſitis ſic philoſophantur, Deum ab æterno Petrum Apoſtolum v. g. ad gloriam prædeſtinaſſe, atque à Juda reprobo diſcriminaſſe per decretum conferendi Petro auxilia illa, quæ per ſcientiam mediam viderat efficacia fore reſpectu ipſius; Judæ autem auxilia de ſe quidem ſufficientia, quæ tamen præviderat vitio Judæ inefficacia fore. Atque hac ratione ſatis conſultum eſſe putant utriuſque libertati, cum decretum diſcriminativum eorum, adeoque prædeſtinativum Petri, & reprobativum Judæ conſequens fuerit ad præviſionem exercitii libertatis utriuſque in ſtatu conditionato.

X. His ego putabam aliquando grandem hanc controverſiam præclare componi. Sed neque defuerunt ex præfatæ doctrinæ adverſariis, qui illi vitio verterint; quod prædeſtinationis arcanum ſic planum & apertum reddat, ut omnibus facile pateat. At quicquid in hoc eſt laudis aut vitii, arbitror immerito tribui doctrinæ jam explicatæ, atque non obſtante ea omni conceptionum mole, rem æque obſcuram manere ac ante fuerat; nec libertati humanæ ſuppetias aliquas per doctrinam illam acceſſiſſe, quibus diſcriminatio piorum à reprobis ipſi adſcribi merito poſſit.

XI. Quam rem ita breviter oſtendo. Deus pro illo in-

inſtanti æternitatis quo Petrum Apoſtolum v. g. per decretum prædeſtinativum diſcriminavit à Juda reprobo, opere ſcientiæ mediæ ſuperius explicatæ, innumera auxilia vidit quibus Petrus conſenſurus erat, aliaque innumera quibus erat diſſenſurus. Tantundem videtat reſpectu Judæ, innumera ſcilicet auxilia quæ efficacia, totidemque quæ inefficacia forent. In hoc itaque conſiſtit benevolentia divina erga Petrum, hujuſque felicitas & diſcriminatio ab infelici Juda, quod Deus decreverit Petro dare auxillia illa quæ viderat efficacia fore; Judæ autem illa quæ præſciverat fore inefficacia. Hæc omnia ſcio in confeſſo eſſe apud patronos præfatæ doctrinæ. Ex quibus ita poſitis ſic argumentor. In ſtatu illo conditionato per ſcientiam mediam conſiderato, æqualis meriti fuerunt Petrus & Judas. Nimirum uterque prævidebatur, innumeros conſenſus totidemque diſſenſus præſtiturus variis Dei auxiliis, ut dictum eſt. Ergo quod Deus auxilia profutura, ceu efficacia futura, decreverit præbere Petro, & non Judæ, ſolius Dei opus fuit, nullo interveniente ex parte Petri diſcriminationis illius merito aut fundamento. Ex quo patet his quoque doctoribus, ſimul & omnibus aliis, reſpondendum eſſe Apoſtolicæ illi quæſtioni; [a] *Quis te diſcernit?* Solum Deum, à quo eſt omne donum perfectum, hujus quoque maximi doni largitorem eſſe.

XII. At his non obſtantibus, & qualiſcunque demum ſit providentiæ & prædeſtinationis divinæ ordo, humani ingenii obtutibus numquam obvius; nemini deſperandum aut oſcitandum eſt, ſed juxta Apoſtoli monitum [b] *magis ſatagendum ut per bona opera certam faciat vocationem & electionem ſuam*, præceptis divinis, & doctrinæ Evangelicæ in virtutum ſtudium & vitiorum fugam obtemperando, diviniſque promiſſionibus

[a] 1 *Cor.* 4. 7. [b] 2 *Petri* 1. 10.

in ſacris ſcripturis propoſitis firmam fidem adhibendo. Nimirum hæc omnia pignora ſive effectus eſſe prædeſtinationis divinæ, & ipſa ſacra ſacra ſcriptura & ſanctorum Eccleſiæ patrum doctrina frequentiſſime inculcat. Quibus omnibus præclare conſonat Anglicanę Eccleſię articulus decimus ſeptimus qui eſt de prædeſtinatione & electione per ſubſequentia verba. *Prædeſtinatio ad vitam eſt æternum Dei propoſitum, quo ante jacta mundi fundamenta ſuo conſilio, nobis quidem occulto, conſtanter decrevit eos quos in Chriſto elegit ex hominum genere à maledicto & exitio liberare, atque (ut vaſa in honorem efficta) per Chriſtum ad æternam ſalutem adducere.* His habes prædeſtinationis & electionis divinæ per Chriſtum gratuitæ ordinem (quod ſobrie ſapientibus ſat eſt) deſcriptum. Porro, ne quis vana quapiam prædeſtinationis ſuæ opinione ductus tutum exiſtimet vitiis ſordeſcere aut ignavia torpeſcere, ut non juxta Apoſtoli documentum: [a] *cum metu & tremore ſalutem ſuam operari ſtudeat*; prædeſtinationis effectus ſive ſigna traduntur per hæc quæ ſequuntur articuli verba: *Unde qui tam præclaro Dei beneficio ſunt donati, illi, ſpiritu ejus opportuno tempore operante, ſecundum propoſitum ejus vocantur, vocationi per gratiam parent, juſtificantur gratis, adoptantur in filios Dei, unigeniti ejus Jeſu Chriſti imagini efficiuntur conformes, in bonis operibus ſancte ambulant, & demum ex Dei miſericordia pertingunt ad ſempiternam felicitatem.*

XIII. Deinde paucis interjectis circa periculum curioſius rimandi in hoc ſublimiſſimum prædeſtinationis arcanum, commendatur fides in divinas promiſſiones & in doctrinam circa recte agendum in ſacris literis nobis propoſitam, per hæc verba præfatum Articulum concludentia: *Deinde promiſſiones divinas ſic amplecti oportet ut nobis in ſacris literis generaliter propoſita ſunt, & Dei*

[a] *Ad Philip.* 2. 12.

voluntas

voluntas in noſtris actionibus ea ſequenda eſt, quam in verbo Dei habemus diſerte revelatam.

XIV. Porro ſalutaris iſtius doctrinæ præclarum ſpecimen edidiſſe videtur pia mulier Sara in illa ſua oratione ad Deum fuſa. [a] *Non eſt enim*, inquit, *in hominis poteſtate conſilium tuum. Hoc autem pro certo habet omnis qui te colit, quod ejus vita, ſi in probatione fuerit coronabitur, ſi autem in tribulatione fuerit, liberabitur: & ſi in correptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit. Non enim delectaris in perditionibus noſtris.*

XV. Alterum iniquarum cenſurarum documentum, quod hic exponere ſtatui, eſt circa mandatorum obſervationem. Ex antagoniſtis meis Pontificiis I. S. pag. 89. unus audacter aſſeruit communem eſſe Proteſtantium Eccleſiæ doctrinam, *quod impoſſibile ſit Dei mandata ſervare.* Unde ipſe ait conſectaneum eſſe, Evangeliſtas ea non ſervaſſe, adeoque ſpiritus divini influxum in ſcribendo Evangelio non habuiſſe, ac proinde Evangelium ab ipſis ſcriptum infallibile non eſſe. Ad hæc, negavi ex Proteſtantibus ullum hanc propoſitionem, categorice, & abſque limitatione protuliſſe. *Quod impoſſibile ſit Dei mandata ſervare.* Unum præterea adduxi calumniam illam per hæc verba refellentem: [b] *cum ſcriptura dicimus & docemus fideles Dei mandata per Chriſti gratiam ſervare.*

XVI. Porro ex Anglicanæ Eccleſiæ præſulibus [c] vir doctiſſimus & graviſſimus, Eccleſiæ ſuæ doctrinam literis ad me ſcriptis plenius expoſuit, aſſerens Proteſtantium omnium, præcipue vero eorum qui ex Anglicanâ ſunt Eccleſiâ, conſtantem eſſe doctrinam, omnes quotquot ſervandi ſunt oportere, regeneratorum etiam quemlibet poſſe, Dei mandata ſervare, juxta Evangelii præſcriptum, ita ſcilicet ut tam ipſe quam ipſius o-

[a] *Tobiæ* 3. 20. [b] *Le Blanck Theſi* 26, & 27. *de Obſervant. leg.* [c] *Georg. Wintonienſis Epiſcopus.*

bedi-

bedientia in iis ſervandis Deo grata & acceptabilis per Chriſti meritum reddatur. Eſto quidem, ſi ſermo ſit de obſervatione omnium omnino mandatorum Dei in ſenſu legali & ſtrictiſſimo, abſque ullo levi etiam defectu, ſive per omiſſionem ſive per commiſſionem admiſſo, qui juſtam Legiſ-latoris reprehenſionem promereatur; talis quidem obſervatio eorum ſit hominibus in præſenti rerum ſtatu impoſſibilis. Adeo ut quæſtio iſta *num poſſibile ſit Dei mandata ſervare*, fallaciam contineat plurium interrogationum, cui ſcilicet reſponderi non poſſit categorice abſque diſtinctione præfata ſenſus evangelici & gratioſi, ab altero legali & ſtricto, omnem prorſus defectum & labem excludente. Penes quem poſteriorem ſenſum in articulo 15. Anglicanæ Eccleſiæ traditur ſolum Chriſtum ſine peccato eſſe, reliquos vero etiam baptizatos & per Chriſtum regeneratos variis defectibus obnoxios exiſtere; juxta illud [a] Jacobi, *In multis offendimus omnes.* [b] Et Joannis, *Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus & veritas in nobis non eſt.* Item [c] Iſaiæ: *facti ſumus, ut immundus omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ univerſæ juſtitiæ noſtræ.* Utrumque etiam aſſerti dicti extremum luculentiſſimis ſacræ ſcripturæ teſtimoniis confirmavit præfatus doctiſſimus & illuſtriſſimus Præſul, ut mirari ſatis non poſſim quanta rerum iſtius Eccleſiæ ignorantia ſic male corruperit ejus doctrinam adverſarius ille meus, quantaque vecordia ex incorruptiſſima aſſertione ita ſacrilega corollaria extraxerit præpoſterus Theologaſter ad totius chriſtianæ diſciplinæ everſionem. Cum præſertim nemo ſit inter Romanæ Eccleſiæ viros doctos & ſanæ mentis, qui non ambabus ulnis amplectatur utramque doctrinæ Proteſtantium nunc expoſitæ partem, ſcilicet poſſibilitatem & obligationem ſervandi Dei mandata modo ſufficienti & re-

[a] *Jacob* 3. 2. [b] 1 *Joan.* 1. 18. [c] *Iſaiæ* 64. 6.

qui-

quiſito ad juſtificationem & Dei gratiam obtinendam & retinendam: & etiam impoſſibilitatem eadem ſervandi modo perfectiſſimo & totius defectus experti, juxta providentiam Dei ordinariam in hoc rerum ſtatu.

XVII. Atque hæc impræſentiarum dicta ſufficiant ut appareat quantopere Eccleſiarum unioni & publicæ paci adverſentur hujuſmodi iniqui partium cenſores & infidi delatores—*turba gravis paci placidæque inimica quieti.* Qui nimirum phantaſiæ ſuæ per odia & ſimultates læſæ ac depravatæ, ſpurios fœtus adverſariis obtrudunt, ut eorum legitimam prolem, ad diſſidiorum fomitem æternum. Hujus mali remedium foret, utriuſque partis graviora & doctiora ſcripta quibus ſuam doctrinam explicant, liberæ omnium lectioni permitti. Hoc præſtant reformati: perfracte ſuis vetant Romiſtæ. Non ſine vehementi indicio male firmæ cauſæ, quæ adverſariorum incurſus non ſuſtineat; aut certe obfirmati in ſchiſmata animi, pacem omnem reſpuentis, donec exambitam diu in cunctos poteſtatem obtineant. Cui malo Deus bonus, qui ſolus id valet, mederi tandem dignetur. Amen.

Index Capitum.

CAP. I. Exponitur primum & maximum pacis Chriſtianæ impedimentum per Romanæ Eccleſiæ miniſtros poſitum, quatenus docent neminem poſſe vitam æternam obtinere, niſi obedientiam Pontifici Romano præſtet. *Pag.* 1.

CAP. II. Explicatur quam veroſimillimum ſit præfatam Pontificiorum ſævam doctrinam ad propagandam ſuam poteſtatem excogitatam, in ejuſdem demum everſionem ceſſuram. 3.

CAP. III. Primum argumentum pro verâ doctrinâ adverſus præfatum Romanenſium dogma ex verbis Chriſti Domini Marci. 16. & ex communi theologorum conſenſu deſumptum. 11.

CAP. IV. Secundum & tertium argumentum ex authoritate Conciliorum Arauſicani, & Tridentini; & Pontificum Romanorum Alexandri ſeptimi, & Innocentii decimi. 14.

CAP. V. Quartum argumentum adverſus eos ſpeciatim qui dicunt omnes ſine diſcrimine Chriſtianos quantumvis fide & morum ſinceritate præſtent, ni Pontifici Romano pareant, hæreticos eſſe aut ſchiſmaticos æternum damnandos. 17.

CAP. VI. Illuſtratur amplius doctrina capitis præcedentis ex definitione hæreſeos à Pontificiis theologis tradita. 20.

CAP. VII. Protegitur explicatio hæreticæ pertinaciæ ſuperius traditæ adverſus aliquorum oppoſitiones. 23.

CAP. VIII. Quintum argumentum ad hominem ex vulgata apud Romanos theologos opinione de poſſibilitate ſalutis omnibus hominibus datâ. 25.

CAP. IX. Sextum argumentum ex maligna opinione adverſariorum de divina bonitate. 28.

CAP. X. Septimum argumentum ad hominem contra adverſarios. 29.

CAP. XI. Confutantur aſſerentes nemini per Angliam, aut Hyberniam patrocinari ignorantiam invincibilem ne hæreticus ſit ſi Romano Pontifici non obediat. 31.

CAP. XII. Octavum argumentum ductum à novitate dogmatis iſtius Pontificii, & atrocitate ipſius ſi ad orientales & alias antiquas eccleſias Pontifici Romano nunquam ſubditas extendatur. 34.

CAP.

CAP. XIII. Confutantur Pontificii contendentes Pontifices ſuos Præſides egiſſe, aut dominatum hodiernum exercuiſſe in quatuor primis œcumenius Concilis. 42.

CAP. XIV. Proponitur & ſolvitur prima & præcipua adverſariorum objectio ex conceptu eccleſiæ catholicæ ſumpta, quam penes ſe ſolos exiſtere contendunt. 47.

CAP. XV. Expenditur primum & ſecundum fundamentum quo Franciſcus Suarez conatur oſtendere Eccleſiam Anglicanam non eſſe Catholicam. 49.

CAP. XVI. Oſtenditur tertium & quartum Suarii fundamentum Eccleſiæ Anglicanæ favere. 51.

CAP. XVII. Tantundem evincitur ex quinto Suarii fundamento. 53.

CAP. XVIII. Expenditur argumentatio Suarii adverſus Anglicanæ Eccleſiæ fidem, ne dicatur Apoſtolica. 55.

CAP XIX. Diſcutitur Suarii argumentum adverſus doctrinam Primatus Regii in Anglicanâ Eccleſiâ, ne ſit Apoſtolica. 62.

CAP. XX. Retorquetur ſuperius argumentum Suarii adverſus doctrinam Romanæ Eccleſiæ, ne ſit Apoſtolica: & obiter refelluntur aliquot Suarii calumniæ adverſus Eccleſiam Anglicanam. 63.

CAP. XXI. Rejicitur in Romiſtas ſchiſmatis crimen quod Anglicanæ Eccleſiæ objiciunt. 68.

CAP. XXII: Retorquetur in Romanam Eccleſiam quod Anglicanæ objicit Suarez, nempe à ſchiſmate in hæreſim eſſe devolutam. 74.

CAP. XXIII. Defenditur Anglicanæ Eccleſiæ doctrina circa Euchariſtiam adverſus molimina Suarii. 80.

CAP. XXIV. Colligitur ex dictis capite ſuperiori, & ex praxi Anglicanæ Eccleſiæ circa Sanctiſſimæ Euchariſtiæ communionem, quam inique de ipſius fide, & reverentia, in illam ſcribant & loquantur Romanenſes. 87.

CAP. XXV. Oſtenditur quam inſanum ſit ac pernicioſum per inanes quæſtiunculas curioſius rimari in modum præſentiæ Chriſti in Euchariſtiæ Sacramento, comparatione hereſis Arrianæ, quæ à conſimili curioſitate ortum habuit & progreſſum, ad ingentem Eccleſiæ, & reipub. Chriſtianæ calamitatem & ſtragem. 91.

CAP. XXVI. Exponitur quam infirmis fundamentis nitatur transubstantiationis doctrina. 98.
CAP. XXVII. An pani Eucharistico elevato, asservato, circumgestato, recte deferatur latriæ cultus. 105.
CAP. XXVIII. Ostenditur perperam denegari populo fideli usum calicis Eucharistici. 112.
CAP. XXIX. Examinatur Ecclesiæ Romanæ doctrina circa confessionem pœnitentialem. 120.
CAP. XXX. De cultu reliquiarum, & imaginum, observationes aliquot. 131.
CAP. XXXI. Concluditur ex dictis quam immerito Romana Ecclesia pacem & unionem respuat cum reliquis Ecclesiis, præsertim vero cum Anglicana; & qualiter si quæ Dei sunt tantum quærantur, pax & prosperitas restitui possit orbi Christiano. 142.
CAP. XXXII. Ex controversiis circa prædestinationem divinam & mandatorum observationem agitatis, ostenditur ignorationem doctrinæ per adversas partes traditæ earum dissidia fovere, & pacem Ecclesiarum præpedire. 151.

FINIS.